


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXVIII (Fasc. II) - N. 202

M. JUNIO — A. MCMLXVIII

PALAEESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: M. Molinam, C.M.F., ALAGON (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXVIII (Fasc. II) - N. 202

M. JUNIO — A. MCMLXVIII

M. MOLINA, C. M. F., "Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes" ...	49
T. CIRESOLA, <i>Joannis XXIII somnium</i> ...	52
C. EICHENSEER, O. S. B., <i>De Iohanne Papa, cui cognomen Boni.</i>	58
N. MANGEOT, S. J., <i>Joannes Papa XXIII fuitne tam simplex ut dicitur</i> ...	64
B. S. POVSIC, <i>Quomodo latinarum litterarum rudimenta tradenda sint</i> ...	67
J. TUSIANI, <i>Tempus amandi - Preces supremae</i> ...	78
G. WALLNER, <i>Subsiciva - Consanguinea regis</i> ...	79
M. MOLINA, C. M. F., <i>Per Orbem</i> ...	83
BIBLIOGRAPHIA, J. M. Jiménez Delgado, D. Mosaka, J. L. Latorre.	87

IN IOANNIS XXIII MEMORIAM
QUINTO AB EJUS OBITU ANNO RECURRENTE



IOANNES XXIII
SAPIENTISSIMO DEI CONSILIO PONTIFEX ELECTVS
GVBERNANDAM SVSCEPIT ECCLESIAM
QVAM PRVDENTIBVS INSTRVXIT DOCVMENTIS
VIRTVTVM ORNAVIT EXEMPLIS
EAQVE VT ACRIVS VERIVS SANCTIVS
GENVINVM CHRISTI VVLTVM EXPRIMERET
VNIVERSALE CONCILIVM APVD VATICANVM II
INDIXIT AC PARTIM CELEBRAVIT
QVOTQVOT IN TERRIS FVERVNT HOMINES
EVM DIXERVNT PATREM
SVVM AMARVNT PASTOREM

“FUIT HOMO MISSUS A DEO CUI NOMEN ERAT JOANNES”

Abhinc quinque annos incolae totius gentium ac nationum orbis mirabili sinceroque dolore sunt affecti, obitum lugentes viri optimi qui vehementer omnes homines dilexerat: Joannes PP. XXIII. Cui Athenagoras Patriarches, quodam quasi propheticō instinctu, evangelica illa verba tribuerat: «Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes» (Jn. 1,6).

Primo ab ejus obitu quinquennio exacto, quamvis tantum id perficere liceat memoriae ope atque auxilio, tamen nobis perplacet Joannis PP. XXIII petere sepulcrum, semper floribus coopertum frequentissimisque christifidelibus totius orbis circundatum, ut tam praeciarum Pontificem palam revocemus ejusque virtutum cum humanarum tum divinarum odore perfundamur.

Meminerimus igitur humanissimi viri, qui et homines et res vehementissimo erat amore prosecutus; cuius vita pro tuendis juribus humanis quasi hymnus visa est atque vindicatio. Virum oportet recordemur, in quo animi humilitas aequa ac simplicitas et immo candor librabatur, adeo ut minime sanam illam indolem et speciem ruricolarum Bergomatium, accurata tamen humanistica institutione gravique commercio hominum et comitate temperatam unquam amiserit. Quem namque si ruricolarum consuetudo et vita simplicitate donaverat, innata quoque sapientia eum locupletavit, qua et homines et res haud obiter perstringeret atque calleret. Quidni Joannem PP. XXIII recordemur tanquam hominem mirabili sensu communi praeditum, qui et sale et lepore et politissimis in dicendo facetiis colloquentes benigne humaniterque pelliciebat quique plane ad amicitiam comparandam natus erat intentissimosque oculos praebebat ad ea bona quae in unoquoque homine sibi observanda viderentur?

Meminerimus viri Dei, qui summa bonitate, augusta animi simplicitate, modestia pietateque angelica eminebat quique se Parochum totius orbis appellabat, cum Ecclesia sibi videretur velut magna familia parochialis cuius ipse semper curavit bonum esse pastorem, parochum ingenuum atque paternum. Vir Dei, cui propositum in omnibus rebus erat: «Oboedientia et pax», et altissimus in orando spiritus constantissimumque se cum Deo conjungendi consilium, se ipse tanquam misericordiarum divinarum vas semper praebuit.

Egregium recordemur Pontificem, cuius morte florentissima in historia Ecclesiae clausa est aetas; quocum Ecclesia bracchia aperuit amplissima ut genus hominum et corde et spatio proprius Christum appropinquaret; qui omnes christifideles ad unitatem revocandos vehementi animo curavit; quique Concilium Vaticanum II indixit, ubi sub lite maxima praecepit Ecclesiae hodiernae quaestiones disputandae proponerentur et unde viae et itinera nova novis temporibus expostulata ad hominum salutem inirentur. Joannes PP. XXIII fuit sua ipse natura rerum instaurator atque innovator, cui christiana vitae et ecclesiaticorum institutorum ad hodiernas necessitates accommodatio summum ei semper in vita et praesertim in pontificatu fuit studium sine ulla rerum simulatione animique timiditate.

Pontificis meminisse juvat qui totius terrarum orbem sapientissimis prudentissimisque documentis illustrans encyclicas conscripsit luculentissimas, ut illam cui index «*Mater et magistra*», maxi momenti in re sociali et oeconomica ad implicatas quaestiones luce doctrinae christiana solvendas, et «*Pacem in terris*» ...«epistulam universo orbi aperiam», qua «colloquium cum omnibus hominibus bonae voluntatis» initur... «supremum testamentum a S. Pontifice humano generi missum»... «symphoniam seu concentum pacis», ut verbis utar Cardinalis Suenens hanc encyclicam legatis Consilii Internationalis, quod vulgo dicitur ONU, die 13 maji anni 1963 perferentis. Humanarum litterarum fautorem recordemur qui «*Veterum sapientiam*» exaravit; quod documentum pontificium nobis linguarum et antiquitatum classicarum cultoribus optima exstat latini sermonis laus vehementissimumque ad ejus studium incitamentum.

Meminerimus tandem hominis cuius mors intima animi in diurno codice ab ipso conscripta de uberrima vita et experientia spirituali nobis revelavit: sensa et cogitata quibus in praesentia jucunde humaneque delectamur velut flosculis qui ejus virtutes egregiumque ejus animum redolent. Nonnulla excerpere licet latine conversa ex iis quae, exempli et brevitatis causa, tantummodo annis 1938-1940 respondent:

«Amare opus est ut ordo, pax, progressusque religiosus instituantur (26-7-1938). Mea maxime interest contendere ut et in hominibus et in rebus speciem bonam inveniam (17-10-1938). Debemus, in animis pertractandis, ad eas accedere spiritu Christi imbuti. Nam sine dubio spiritus Christi benignior liberaliorque quam noster illis videbitur (23-10-1938). Nostrum est orare, sperare, sanctificare (14-11-1938). Occupationibus distineri neque unquam anxietatem celeritatemque pati paradisi in terris est quasi inchoatio. Praeter Dei voluntatem nihil est quod me pelliciat (25-1-1939). Necesse est quemque res dulcificare, mitigare, meliorem esse (26-1-1939). Omnes dies ut menses

Domini sunt: ideo aequi pulcri sunt omnes (1-2-1939). Deorum est dolore morteque conieri ut postea in vitam restituamur (22-2-1939). Ubi amor Dei deest, parum sperandum (14-5-1940). Bellum gravissima omnibus admonitio (25-5-1940). Bellum immane est periculum; homini tamen christiano que in Christum ejusque Evangelium credit, est quid iniquum et abhorrens. Ex hoc tempore auctoritatem meam meaque moderationis caritatisque officia cogito fieri graviora. Omnibus episcopus esse debeo, scilicet, «Consul Dei», pater, lux, omnibus solacium (10-6-1940). Optima mihi regula: omnia dare gratuito, minime quasi mutuo» (5-9-1940).

Quisnam, quinque jam annis ab ejus obitu exactis, illius imaginis atque figurae paternae, ingenuae, liberalis, summa praeditae humanitate, oblivisci potest? Sepulcrum ejus igitur tanquam potentissimus magnes animos voluntatesque sibi trahit et undique terrarum illud petunt homines qui marmora floribus exornent in tanti Pontificis memoriam.

Palaestra quoque Latina anniversarium mortis Joannis PP. XXIII diem celebrare eique hos intendit dicare commentarios qui maximis laudibus sermonem latinum extulit nosque omnes ad eum colendum provehendumque tanto ardore atque studio inflammavit.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Palaestrae Latinae Moderator.

JOANNIS XXIII SOMNIUM

*Carmen
in Certamine poetico Hoeufftiano
praemio aureo ornatum*

Nox tibi quae saevos cruciatus attulit aegro
cedet, Joannes, rosea mox luce fugata.
Attritis circum taciti prope viribus adstant,
solliciti attento scrutantur et ore ministri
teque tuosque leves minimo vel momine nutus.
Haud procul immoti maerentes pectore fratres;
labra quibus villosa, albi incomptique capilli,
callosaeque manus, vultus et solibus usti.

Decidit interdum defessis languida furtim
ex oculis scabrasque genas vaga lacrima tinguit,
liquitur ut fissis guttatim e rupibus umor.
Alta quies, tantum lenes cautique susurri,
verbaque rara citas quae vix afflantur ad aures,
atque premunt molles vestigia lenta tapetas.

Tum Pater ad fratres oblitus paene dolorum
se vertit, blando maestos solatur et ore:
«Nonne patris mecum memores et matris adestis?
Quos ego mente pia recolo, mihi forsitan illos
mox datur ut videam, jucunda et voce beatos
compellem. Ne nos illis nunc fausta precari
paeniteat». Sacraque manu cruce dividit auras,
atque simul precibus resonat plorantibus aula.

Ad clausam volvit summus Pater aegra fenestram
lumina, si veniat strepitus de fontibus infra

exslientis aquae, dulces populique susurri,
 prosequitur Patrem precibus qui ardentibus aegrum.
 Jamque sacri turris lenti sonat ictibus aeris
 undique Christicolas templi ad pia justa vocantis,
 ipse sed ingrato defixus corpore lecto,
 heu, ne membra quidem valet ulla ex parte movere.

Ingemit, at lacrimas ne quis modo cernere obortas
 forte queat, tenet usque ampliae conversa fenestrae
 lumina, qua exiguis lux jam sibi candida rimis
 munit iter, brevibus niteat tamquam ignibus omnis
 linea valva, velut piceum fulgentibus ardet
 sub noctem caelum stellis. Per aperta fenestrae
 limina si posset teneris, ut semper, amatum
 alloquiis populum patris instar sancta docere!
 Quod vero aegrotat sibi nil putat esse dolendum.
 Nam Deus ipse sua prospexit mente benignus
 quae tristes quoque per casus sint optima cuique.

Ille gregis pastor bonus est ac providus, ex quo
 omnibus uno opus est certam sperare salutem.
 Paulatim ore preces effundit lentius, alto
 lumina clauduntur sommo, jam membra quiescunt
 quae modo erant morbo penitus cruciata maligno.

Ast ubinam est? Aegre sero loca vespere cernit,
 conspicit at molli montes consurgere clivo,
 quos subter raro lustratur lumine pagus.
 O patrium ex animo quem semper amavit agellum!
 Vesperis obscuris tacitus circumspicit umbris
 lampyridum umentem fervore examine vallem
 assidue, ut lychnis tremulis si exarserit omnis.
 Lampyris exigua quac nuper luce nitebat
 mox cessat, tenuique eadem post fulgure fulget.
 Alternis vibrat flammis splendentibus aer,
 scintillisque scatet, velut ex incude favillae
 innumerae ferro percusso protinus ardent.

Ut puer ipse animoque oculisque urget anhelus
 lampyridas dubia nictantes undique luce!
 Infinita micant immenso sidera caelo,
 exculti gratis halant et odoribus agri.
 Quam libet in tanta solus nunc pace morari!
 Namque domum fratres rediere laboribus actis
 ut tenera tandem cum prole quiete fruantur,
 ipse sed immotus, ruris quasi gaudia libans,
 atque vago per prata fere circumdatus igne,
 praeteritos memorans annos hic corde moratur.
 Proxima cum turris tinnitibus aera lentis
 commovet, atque preces ad sacras lenis adurget
 aeterna ut caeli praegressi pace quiescant.

Dum madidis oculis loca contemplatur amata
 figidus ossa tremor vehementer concutit ima.
 Suaves ex animo species dolor eicit acer,
 omnia vanescunt nebula circumdata densa.
 Paulatim vero amotis caliginis umbris
 tunc procul hinc alio se cernit abisse repente.

Miratur se amplae patefactae adstare fenestrae,
 unde potest oculos cupidos advertere circum.
 Haud ignota videt. Tranquillis Bosphorus infra
 litoribusque urbique fluens immurmurat undis.
 Num rediit summi, qui hac nuper cessit ab urbe,
 Pontificis rursus legatus, ad alta remissus
 moenia Byzanti? Mediam inter sidera metam
 praeterit jam nox, expletis omnibus ipse
 officiis vigilat, neque somnus lumina temptat.
 Suave maris placidi blandos audire susurros,
 et plenae radiis prope flustra micantia lunae
 desuper adspicere, et sublimibus ardua tectis
 aedibus in mediis urbis dignoscere templa!
 Cum procul auditur laetusque silentia noctis
 egelidae vocum dirumpit clamor. In unum
 convenere rates accensis lampade proris

innumerae, vario micat omnis Bosporus igne.
 Retibus in gyrum positis, ex ordine cuncti
 in Ponto natas liquidasque per aequoris undas
 lapsas turmatim sinuose corpore leves
 pelamydes una aggressi piscantur in orbem.
 At quamvis duro segnis mora nulla labori.

«Quale mihi — secum commota hacc mente volutat—
 exemplum! Vel qui monitus! Piscator et ipse
 jure vocor, Christi jussu qui piscor in alto
 errantes fratres pelago. Hic vestigia Christi
 parva manent, modo reliquiae vastaeque ruinae,
 semina, quae compressa gravi sub pondere languent,
 atque novum exspectant zephyri ver flamine laetum,
 vomere cum segnem terram proscindet arator».

Quac dum sollicito maestus sub pectore versat,
 adspicit in turba sese trepidanter euntem.
 Ignoti vultus, varioque colore decori,
 discreti formis circumstant atque figuris.
 Gestat quisque sua recinens funalia dextra
 ac palmas laeva frondentes jactat ad auras.
 Obstringunt sed paene senem, densaque caterva
 cingunt, quem cuncti pariter comitantur aventes.
 Conferta misere turba circum undique presso
 nescie qui lateri aegroto dolor exstat acutus,
 horribili veluti doleant si viscera morsu.
 «Filioli...», exclamat supplex, neque plura precari
 voce valet, tarda ast immoto torpet in ore
 lingua. Sed interea subita dulcedine tactus
 turbam alaci sequitur passu, quae noctis in umbris
 extollit palmas vigil, et funalia profert
 sacra canens. Mentem at quamvis advertere certet
 percipit ille nihil, *mir* tantum iterare canentes
 saepe alios audit, *shalom* sed carminis usque
 alterius nota praecipua est, aliique precantur
 vocibus *eirenen* mire concordibus, atque

cantibus interdum verbum supereminet hoc: *pax.*
Procedunt sic unanimi pia verba serentes.

Ille dolens simul et gaudens prope fertur ab omni
divinae pacis quae concinit omnia turba,
nec tamen in tanto gradientum vertice quonam
tendat iter novit, qui sit sibi finis eundi,
cum videt albenti lunae sub lumine molem
immensam, binis utrinque et turribus auctam,
comminus in vasta solam nigrare platea.
Nonne aedes divae est Sophiae sacra, gentibus olim
Christicolis exculta? At cur venere canentes
addictam sacris alienis prorsus ad aedem
qui munus poscunt diversis vocibus unum?
Janua sed templo confestim panditur alta.
Introeunt omnes. Miratus lumina lente
excelsum super ille tholum tunc vertere coepit.
Lunula nulla subest, rutila sed luce lucernae
haec inscripta auro splendent in margine summi
verba tholi, quae corde pio veneratur adorans:
EΙΣ ΘΕΟ. Ac deinceps alia haec depicta renident,
laetitia quibus exsultat mira: **MIA ΗΙΟΙΜΗΝ.**
Dulcibus ast oculi lacrimis dum implentur obortis
haec legit extrema radiantia verba corona:
EΙΣ ΗΙΟΙΜΗΝ. Manibus nequiquam pectus anhelum
conatur cohibere. Seni cor paene videtur
subsiliens frangi. Palmis ad sidera passis:
«Cur, Deus, hoc mihi?... Cur?...» iterat nihil amplius addens.

Laetitia oppressus, nimio simul atque dolore
qui saevo male dente tumentia viscera vexat,
extemplo e somnis mox expergiscitur. Illum
et dubio, maesto scrutantur et ore ministri,
«Ut, Pater, est — querulaque rogant — tibi? — voce». Sed arcte
mira tenent etiam vigilem quae somnia dulci
crexere pium spe somno membra gravatum.

Nil ita respondet, tacitus circumspicit, atque
adstantes suavi paulisper lumine lustrat.
Ex oculis lacrimas guttatum effundere cernit
assidue atque preces trepidanti e pectore fratres.
Deinde loqui coepit submissa voce: «Benigne
obveniunt mihi quae patior, si cuncta juvabunt
fratres in toto qui erroribus orbe laborant.
Unius ast ut oves repeatant pastoris ovile
discrimen laetus sum mortis obire paratus.
Nam pastor bonus ipse suam dat pro grege vitam».

Prof. THEODORUS CIRESOLA
Viale Brianza, n. 22
MEDIOLANI (Milano) in Italia

DE IOHANNE PAPA, CUI COGNOMEN BONI

Iohannes * Vicesimus Tertius, Summus Pontifex Romanus, cui die suo natali in baptismo nomina Angeli et Josephi sunt indita, postquam papatus munus anno MDCCCCLVIII suscepit, ob pietatem paternam clementiamque communiter celebratam, dum est in vivis, cognomine Bonus appellari jam coeptus est¹. Idem multis muneribus sollerter confectis et officiis diligenter impletis et rationibus scienter comiterque contractis tam Italis et Bulgaris² et Turcis³ quam Graecis Gallisque pernotus atque perquam amabilis Germaniam quoque Austriamque superioribus annis et obiit et luculenter peragravit. Quam rem ipse commemorat in eis litteris, quibus die vicesimo tertio mensis Decembris anno 1958 datis episcopis Germaniae cum alia respondit tum haec: «Quod autem ad Nos spectat, in Germanorum gente magni aestimanda ab exemplo a Decessore Nostro dato non deflectimus et, quemadmodum de ejus pietate, quae filios optimos addecet, gaudemus, ita paternae caritatis affectu tum Antistites, quibus istic singularum Ecclesiarum administratio concredita est, tum utriusque militiae clerum, religiosos sodales, eos qui in catholicas Consociationes asciti sunt, christifideles uniuscuiusque ordinis, universam inclitam Germanorum gentem amplectimur.

Apud vos Berolini, Monachii, Coloniae Agrippinae, Aquisgranis in itineribus nostris constitimus et, cum Operi Propagandae Fidei navitatem Nostram dicabamus, cum vestratibus necessitudines habuimus. Experiundo ergo novimus et plurimi ducimus ingenitas generi vestro laudes: pervigilem in officio servando conscientiam, promptum oboedientiae obsequium, communitatis disciplinam et sensum, cum or-

* De nomine «Iohanne» scribendo haec auctoris ad Moderatorem Palaestrae Latinae verba velim perpendas:

«Id autem Te multum rogo, ut, si fieri potest, nomen 'Iohannis' per h litteram ea ratione scribere velis, qua Tibi textum compositum proposui. Hac in re velim scias Iosephum Mirum quoque Patrem tum Moderatorem mihi obsecutum esse. Quid dicam «mihi»? Non mei, sed monumentorum ipsorum antiquorum rationem habuit. Conferas igitur, si libet, PAL. LAT. n. 174: 31 (1961) 65 - 76: De adventu legati Pontificii. Ibi videsis pag. 65 et ibidem adnotationem primam asterisco signatam».

1. Cf. BROSCHI, Joseph, *Johannes der Gute*, Trier (= Treveris) 1967, pp. 132.
2. Cf. ThLL II 2240, 34-55: Bulgares, -um et Bulgari, -orum.
3. Cf. LATINIT. 15 (1967) 133 sq.: TVRCVS [P. L. MIR].

dine actuose agendi obfirmatam voluntatem, cum studio pulchritudinis liberalitatem, strenuitatem et fortitudinem arcto⁴ foedere conjunctas.

Ex nobilissima ista natione mentis obtutu circumspicimus ingenitem hominum multitudinem, in Christo regeneratos Ecclesiae filios, qui avitam fidem indemnem et incontaminatam tutati sunt, qui illustrem generosamque subolem ad Christi Regnum constabiliendum et provehendum ediderunt, qui in exaedificanda civitate Dei speciosos spiritales lapides validasque structuras suppeditaverunt. Vestrates enim religionis observantia, disciplinis et artibus, apta agendarum rerum moderatione, oeconomici et socialis generis multigena industria ad cristianum civilemque cultum plurima contulerunt, quae publico sunt usui et incitamento ac meritissimo sunt honestanda laudis praeconio.

At intercipitur admirantis animi significatio moestitudine⁵. Misericors provolat cogitatio Nostra ad eos qui per Germanorum fines dura patiuntur, qui Nobis eo sunt dilectiores, quo graviore sarcina et asperioribus aerumnis laborant. Cumprimis animum Nostrum attendimus ad dilectos filios orientalis Germaniae regionis, ubi erga Ecclesiam fidelitas et christianorum virtutum exercitatio in difficilibus rerum adjunctis versantur, quin etiam interdum tecte aut aperte moralis legis conscientia opprimitur. Hos omnes, quos immerentes vexat afflictio, peramanter salutamus, dum enixe eos hortamur ut in catholica fide contra quidquid est nefas illabefacti et firmissimi bonam spem alant, et numquam languescenti caritate inardescant etiam erga eos, qui falsis errorum opinionibus vel amittendorum terrestrialium bonorum metu — horum plus Nos miseret — Ecclesiae adversantur...

Misericordi animo aspicimus etiam domo profugos quos belli causus, vel vis et metus, vel necessitas, vel libertatis studium et voluntas christianam fidem publice profitendi patriam, oppida, lares, necessarios, rem familiarem, quidquid est hominibus carius relinquere coacti sunt. Quantum Nos commovet aspera immerita sors tantae civium multitudinis, quos vita miseriis plena fatigat vagos et palantes velut oves ductu carentes pastoris! Enixe adhortamur Antistites, ut pergent ad eos curas et cogitationes conferre atque summopere eniti ut religiosis ope et solacio ne careant, domum et operam quamprimum assequantur»⁶.

His verbis magnificentissimis prorsus apparet, quanta caritate Germans Iohannes XXIII dilexerit, quanto respexerit eosdem affectu,

4. i.e. arto; cf. ThLL II 720,34 sqq.: artus, -a, -um. arctus *vitiosa scriptura raro traditur*.

5. i.e. maestitudine; cf. ThLL VIII 45,40 sqq.: maestitudo, -inis f.

6. AAS 51 (1959) 12 - 15: Ioh. XXIII: communibus officiosis litteris, ad suum decessorem Pium XII missis, respondet.

quanto denique nisu condiciones iniquas Germaniae infeliciter in duas partes divulsae et diserptae studuerit in melius mutare profugorumque diritatem acerbitate mōe sortis miserabilis mitigare.

Idem exeunte anno 1944 Francogalliae nuntius apostolicus factus Germanos captivatos curavit contentisque viribus non paucos Hitlerianos criminosos capitali judicio damnatos studuit servare. Die autem duodevicesimo mensis Septembris anno 1945 primum castra Carnutina, quibus circiter quadraginta milia captivorum continebantur, comiter diligenterque invisit. In iisdem castris prope ab Autrico⁷ sitis Franciscus Stock, curio Paderbornensis et Parisiensis (+ 24. Febr. 1948), qui plus duobus milibus Francogallorum ad supplicium ductis fortiter suaviterque solacia fidei Christianae praebitus adstitit, seminarium quoddam theologicum instituit. Hos theologiae studiosos Angelus Josephus Roncalli die sexto decimo mensis Maii anno 1946 iterum visitavit eodemque anno exente tertium, qua occasione data brevi futurum redditum in patriam praedixit. Denique quartum et ultimum illuc deversus sabbato sancto anni 1947 ibidem praeter sacramentum confirmationis administratum⁸ aliasque ordinationes factas Josephum Rehm Alfredumque Müller diaconos sacerdotio auxit⁹.

Singularibus autem virtutibus donoque Spiritus sancti, quem plurimum colebat¹⁰, cum mirabiliter emineret, ecclesiae catholicae Pontifex Romanus electus est et salutariter constitutus. Idem jam initio pontificatus sui sensus animi trepidi et aequi et solliciti et paterni ad auscultantes totius orbis terrarum radiophonice contionans verbis expressit latinis¹¹. Eodem sermone plurimis occasionibus oblatis identidem usus non solum novas stationes radiophonicas inauguravit¹², sed etiam illum conventum Ciceronianum anno 1959 Romae factum allocutus est¹³ et patres purpuratos episcoposque totius orbis ad alte-

7. *Chartres.*

8. Cf. TERT. adv. Marc. 4,38,2 (CChL 1,648) ... cuius sacramentum Iohannes administrabat.

9. Cf. BROSCHE, *op. mem.*, pp. 82 - 84. BÜCKER, Hanns, *Abbé Stock*. Ein Wegbereiter der Versöhnung zwischen Deutschland und Frankreich, Freiburg/Br. (Friburgi Brisigavorum) 1964, pp. 134 - 152.

10. Cf. AAS 52 (1960) 480 sq.: ... ad terminandam radiophonicam propagationem hymni «Veni Creator», in septem aedibus cathedralibus Europae die dominica Pentecostes decantandi. Cf. AAS 51 (1959) 430.

11. Cf. AAS 50 (1958) 838-841: Hac trepida hora ... p. 878: Audiens verba tua «tremens factus sum ego, et timeo». ... *Ibidem*: Vocabor Ioannes. Nomen Nobis dulce, quia nomen patris Nostri: nomen Nobis suave, quia titulare est humilis paroeciae in qua baptismum accepimus. *eas.* p. 884-888: Venerabiles Fratres ... paterno amantissimoque vos salutamus animo. p. 910-913: Per pulchra et egregia salutationis tuac verba...

12. Cf. AAS 51 (1959) 204-205: Os nostrum patet ad vos ... 55 (1963) 50 sq.: Suaviter commoto animi affectu alloquimur vos...

13. Cf. AAS 51 (1959) 301-302: *allocutio die 7° m. Aprilis habita.*

rum concilium Vaticanum convocatos cohortatus. Quae cum ita essent, constitutionem illam gravem mirabilemque proposuit, cui est initium VETERVM SAPIENTIA¹⁴, qua singulariter usum linguae latinae commendavit commodeque imperavit. Quae verba decretis constitutionibusque concilii Vaticanii nequaquam irritata temporibus nostris utinam ne neglegantur! Ceterum ille aliquando dixit haec: «Studia non amantur. Minus enim molestum est in sententias diversas distrahi. Desideratur finis linguae latinae statuendus studiisque litterarum antiquarum. Liturgia sacra quaeritur ad arbitrium cujuslibet conformanda. Quibus in rebus longanimitate et magnanimitate opus est. Sed sunt certi denique fines»¹⁵.

Porro cunctos curis pastoralibus votisque paternis prosecutus populosque plagarum orientalium bene recordatus auxilium dispersis pro parte virili latus decretivit haec: «Cum ob immane bellum, quod novissimum per totam fere Europam pervasit, frequentissimi populi agmen Byzantini ritus, relicta patria, e Gallaecia atque Carpathia profugissent, neque iis, bello composito, datum esset in suam terram redire domumque petere, Apostolica haec Sedes non modo hos filios, quos semper carissimos habuit, omnimodis juvit, sed etiam Apostolicum Visitatorem misit, Petrum videlicet Werhun, eos suo nomine curatum. Qui ob integrum atque incontaminatam fidem erga Romanam Ecclesiam est exsilio multatus in Siberiaeque¹⁶ regione, fractus labibus, obiit. ... In Natione Germanica Exarchiam constituimus pro fidelibus Ruthenis Byzantini ritus ibidem commorantibus, cuius sedes in urbe Monachio erit, ubi plures ejus modi ritus cives degunt¹⁷.

Item Monachii¹⁸, quam urbem principem Bavariae Angelus Josephus Roncalli anno 1921 Lugduno profectus et per Parisios et Bruxellas et Aquisgranum et Coloniam Agrippinensem¹⁹ itineratus obiit per Florentiam Romam reversurus, ineunte mense Augusto anni 1960 conventus Eucharisticus universalis celebratus est, quem Pontifex Summus salutavit his verbis: «Monachium, Bavariae caput, Germaniae urbs florentissima, ingeniis, fastis, artibus conspicua, atque erga adorandum altaris Sacramentum pietate nobilissima, proximo mense Augusto, Eucharistici ex universis gentibus Conventus sedes erit, quem et insignem et perpetuo memorandum futurum esse facile confidimus»²⁰.

14. Cf. LATINIT. 10 (1962) 151 sq., 222-224.

15. Cf. BROSCH, *op. mem.*, p. 79.

16. Cf. LATINIT. 15 (1967) 268: *Siberia, Sibérie, Sibirien* = Sibiria, -ae f. [C. Egger].

17. AAS 51 (1959) 789 sq.

18. Monachium = Monäcum: *München, Munich*.

19. Cf. AAS 54 (1962) 395.

20. AAS 52 (1960) 763 (— 765), 36-39, 774-776, 813 sq.; cf. PAL. LAT. n. 174:

31 (1961) 65-76: De adventu legati pontificii [C. Eichenseer].

Idem anno 1912 Vindobonae, in urbe principe Austriae, fuit, ubi tum Eucharisticus conventus mundanus habitus est²¹. Praeterea anno 1959 Laurentium Brundisinum, virum sanctum, universalis ecclesiae doctorem declaravit. Cujus actus cum aliis verbis adumbrat tum his: «Tanto etiam praeditus rerum usu tamque plenus fuit consilii (*Laurentius*), ut nonnullas ordinis provincias in Italia rexerit, sodalibus in Austria, Bohemia, Bavaria, Tiroli mandato praefuerit munere, ipsumque sumnum egerit moderatorem; quae gerens officia austerioris instituti Franciscalis rationem inducendam servandamque curavit»²².

Quadriennio post, cum centenarius annorum circulus volutus esset²³, anno 1963 ad monachos Benedictinos Beuronenses²⁴ Iohannes papa litteras dedit, quarum sententia initialis est haec: «Hoc anno feliciter contingit, ut revolutum impleatur saeculum, ex quo benedictinum Beuronense Archicoenobium constitutum est»²⁵.

Idem Pontifex Romanus septentrionalia quoque loca Germaniae celebravit et curavit. Itaque Essendiensibus Mariam, Virginem Dei Genetricem, commendat patronam cunctis condicionibus vitae confidenter invocandam. Ait autem haec: «Essendiae²⁶, in urbe frequenti, ubi quaestus causa artes tractantur multiplices opusque fervet quam maxime, Alma Deipara veterem habet nobilemque sedem constitutam, quasi ut filios suos e negotiorum magnitudine ad religionis vocet officia et suavitates eorumque animos erigat ad immortalia et semperitura»²⁷.

Denique sermonem ultimum die tertio mensis Junii anno 1963 ad Germanos fecit. Quae verba paucis diebus ante in taeniam sonigeram dicta illo die radiophonice emissa sunt. Singulos autem universos benignissime et instantissime commonuit, ut precibus summis Spiritus sancti auxilium peterent in opere Concilii Vaticani perficiendo atque in Ecclesiae discrimine salutariter evicendo²⁸.

Porro eodem die tertio mensis Junii tempore vespertino post agoniā magnam et diurnam pacifice lumina clausit. Transiit autem ad patrem caelestem cum salute hominum rebus recentissimis interdum

21. Cf. AAS 54 (1962) 435.

22. AAS 51 (1959) 457; cf. *ibidem* pp. 456 - 461.

23. Cf. HIER. epist. 10,2,2 (CSEL 54,36,11 sq.) ecce jam centenarius aetatum circulus volvitur.

24. Beuron, -ae f., Beuronensis, -e = *Beuron*.

25. AAS 55 (1963) 770 (sq.).

26. Essendia, -ae f., Essendiensis, -e = *Essen*.

27. AAS 51 (1959) 899 sq.

28. Cf. volumen V: *Discorsi Messagi Colloqui del Santo Padre GIOVANNI XXIII*, Tipografia Poliglotta Vaticana 1964, pp. 273 - 275. BROSCH, *op. mem.*, p. 130 sq.

plurimum vexatorum cuncta munera officiaque singulariter exsecutus. Ejus verba etiamnunc in auribus nostris resonant, quibus in homilia die coronationis habita animos audientium commovit, cum diceret: «Ego sum Joseph, frater vester»²⁹.

Denique desiderium ingens sui reliquit, qui mortuus est humanitate Christiana conspicuus et multiplici bonitate.

F. CAELESTIS EICHENSEER, O. S.B.

In Archiabbatia Ottiliensi Professor
(St. Ottilien) in Germania

29. VVLG. gen. 45,4: ASS 50 (1958) 885.

JOANNES PAPA XXIII FUITNE TAM SIMPLEX UT DICITUR?

Joannem, cum die tertia mensis Juni anno 1963 vitae cursum post diutinum agonem clausisset, omnes singularem fuisse consensere. Quem non multo post Paulus Papa VI «benignitatis summae, granditatis et luminis» virum nominavit. Interim autem non desunt, quorum alteri dicant eum vere sanctum fuisse, alteri eum Ecclesiae viam faciliorem tantum stravisse, caruisse autem vera granditate. Fuitne Joannes homo ingenii singularis, ut, ad summum pontificatus apicem evectus, instrumentum flexibile Spiritus Sancti fieri posset? Dicitur enim hodie interdum «mediocritas peperisse virum ingeniosum». Dixerat namque ipse Joannes se nil aliud nisi «saccum vacuum fuisse implendum Spiritui Sancto». Sed diligenti inquisitione facta constat «saccum istum» non solum omnis generis virtutibus et Spiritus Sancti donis, sed etiam praeclaris scientiae et experientiae divitiis jam ante repletum fuisse, quas ipse Papa sedulitate summa et patientia sibi acquisisset.

Quodsi viros vere eruditos consideremus, facile tres classes distinguere licet. Alii humanum cultum veluti pariunt, alii eum propagant et communicant, alii vero peculiari modo recipiunt. Inter sese differunt et accidit ut primi ceteris ineruditи videantur. Nec quisquam autem humanum cultum parere potest, nisi inspiratur et totum traditum sibi acquirere studuerit. Quodsi divisionem antea dictam ad viros Ecclesiae doctos adaptamus, aliter dicere licet. Sunt, qui usu longo ex summi ponderis fontibus christianis: Scriptura Sacra, Patribus ecclesiasticis et Ordinum fundatoribus eruditionem sibi acquirant. Alii libris scholaribus sese informant. Alii denique nec libris monographicis nec solis fontibus sunt contenti. Primi et ad tempora transacta eorumque fontes redire et futura praevenire solent. Secundo aetati proxime peractae et haerere et retinere nec pauca aut omittere aut distorquere consuerunt. Tertii denique aetatem praesentem spectantes quaestiones vident, rebus quae geruntur fecundantur, hodierna utuntur lingua, sed, cum in traditionis arcanum non penetrarint, non sunt apti ad difficiliora et tempus futurum prospicientia decernenda.

Joannes, si eruditionem species, ad primam pertinet classem et, an tequam ad summum Pontificatum erat evectus, sese Sacra Scriptura, traditione christiana, liturgia, Patribus ecclesiasticis et ita porro infor-

marat. Quae cotidiana Patrum potissimum lectione per tot annos et meditatione perpenderat sibique acquisierat, ea bene conjuncta erant cum innato *realismo*, *optimismo*, animo omnis perturbationis libero et rerum variabilium statusque historici sensu vivido. Ita sibi non solum magnam scientiarum copiam acquisivit, sed etiam mentem ad recte sentiendum et cogitandum bene formavit. Cuncta haec ingenio morali et religioso haud male adjuvabantur et in iis litterae encyclicae et allocutiones postea habitae tanquam in nucleo inclusae asservabantur. Quac, quanti ponderis fuerint, muniis Summi Pontificatus cotidianis tegebantur. Praeterea Joannes ab omni vana gloria prorsus alienus cooperatores operari sinebat iisque obtemperare solebat, vel cum alter ac illi sentiebat ac judicabat.

Qui res videndi judicandique modus in Joanne praeparatus inerat, licet non omnibus cooperatoribus cognitus. Ipse autem, Papa demum electus, jam non discipulus, sed magister omnium et dux summus esse volebat. Persuasum enim penitus habebat se scientia et virtute Sancti Spiritus duci et regi, quae carismata sibi muneri tam gravi rite explendo essent promissa. Hoc res loco stabat, cum clavum Ecclesiae tenendum suscepit. Unde patet ipsum a multis perperam esse intellectum, eo quod usitatas ex saeculis formulas et proxim curialem sperneret ac probatos hactenus modos. Aliis satis simplex et admodum mediocris videbatur, quippe qui rerum saecularim usu careret et animo critico. Utrisque autem paulum levis et plus solito benignus ac mansuetus.

Jam Joannes, quae diu diligentes absconderat: flagrantem Dei hominumque amorem ac lumen novum, quo in ipsa electione erat perfusus, palam manifestare coepit et, quae in Ecclesia essent formanda, clare perspexit. Ideoque intellexit oportere se esse omnium hominum et magistrum et ducem sumnum. Deum, qui ipsum Petri successorem voluerit, ipsi, qui hactenus oboedierit, abhinc imperare, ut imperet et omnes regat et gubernet. Quod nec Pius Papa X nec Pius Papa XI nec Pius Papa XII ausi fuerant, ipse est ausus: convocavit Concilium Lateranense alterum. Quae deinceps fieri vellet, his verbis definiebat: «Parare Domino plebem sanctam et vias asperas reddere planas, ut omnes» viderent salutem Domini». (Prima allocutio 28.10.1958). Ita binas litteras encyclicas: «Mater et Magistra» et «Pacem in terris» considerare oportet.

Joannes, nisi sibi penitus persuasisset se omnium magistrum et ducem esse, vix tribus post electionem mensibus expletis concilium tanti ponderis ac momenti nostra praesertim aetate perturbata convocasset? Quisnam alias Papa, quamvis rem esse optimam censuerit, non sibi exspectandum, multum deliberandum, consilia cum aliis conferenda putasset, donec Ecclesiae statum et gravissimi et inauditi negotii consequentias bene perspectas habuisset? Inde duplex et valde sollicitans oritur dilemma: Joannes aut fuit vir admodum temerarius et eru-

ditionis experientiaque tam expers, aut negotio conficiendo licet impar, tamen Ecclesiae statum historicum et, quae sibi essent agenda, praesensisse aliquo modo sit dicendus. Sed dilemma facile solvitur. Joannes concilium convocavit, quia sanctus erat et doctor Ecclesiae universalis, non modo nomine, sed merito, et lumine Spiritus Sancti illustratus eodemque lumine sibi conscius rem prosperum habituram eventum. Ergo aut est sanctus aut non. Quodsi prius est verum, fieri potest ut omnes homines videant «salutem Dei», unice necessariam.

N. MANGEOT, S. J.
Thorpe Bay 99 Tyrone Rd
England (in Britannia)

QUOMODO LATINARUM LITTERARUM RUDIMENTA TRADENDA SINT

PARS PRIMA

Multum recentius de tradendis litteris disputatum est et quidem non solum de eis, quibus hodie homines utuntur, sed etiam de latinis atque graecis. Quamvis plura bona, nonnulla vel optima de hac re novissime dicta ac facta sint, tamen nulla, meo quidem judicio, omnia puncta ferunt. Nec mirum. Nam linguam, quae tam simplex tamque naturalis est, ut vel ii, qui fere nullo ingenio pollent, discere possint, idem ipsum et tam involuti aliquid, ut viri summo ingenio praediti penitus intellegere omniaque amplecti vix possint. Quae vero optimam tradendi linguas descendique rationem ac viam conficiunt tot tamque varia sunt, ut vix sperare audeamus unquam id quemquam omni ex parte consecuturum esse. Ad quamcumque enim linguam perfecte descendam omnium rerum usu ac vita opus est, quarum litterarius ludus una tantum pars est.

Causae ergo atque rationes, cur peregrinae linguae in patria minus bene discantur plures sunt: quarum liceat mihi hic unam, quae quidem mihi praecipua esse videtur, adducere; nempe methodum recentius inductam, qua eas nativo sermone docemus nec unquam vel rariſſime in litterarum ludis latine loquimur. Quod linguae litterisque latinis atque graecis quam maxime nocuisse arbitror. Illos vero, qui hoc nullo vel parvo litteris classicis, quas vocant, detimento fuisse judicant, multum errare censeo. Cum enim discipuli doctores suos latine loqui nescire comperiunt nec se ipsos unquam latine locuturos, tum studium in linguam litterasque incumbendi eos magna ex parte deficit. Quin immo multi, ubi disciplinas seligendi facultas datur, ut fere semper apud nos, ibi saepe ne ut operam quidem eis navare incipient curant.

Nec mirum. Cur enim disciplinae operam dent, quam non sperant

fore ut unquam discant, cum praeterea tot aliae dentur, quae hominum societati utiles, ipsis vero, qui in eis periti sunt, lucrosae, nemo prorsus mehercle sui compos intelligere potest. Quae quidem vera sunt de omnibus linguis, tamen in nostrae aetatis linguis recentius de hac re cautum est, in latinis vero usque nunc temporis vix quicquam. Problema praecipuum in litteris latinis tradendis descendisque, ni fallor, hoc est: quomodo sex annis possumus ita discere latinam linguam ut legere possimus quemcumque librum latine conscriptum eumque tam bene intellegere ut omnino certi simus, quod dicat, et tam facile ut lectione oblectemur. Nam nisi hoc consequimur reor citius tardius de latinis litteris actum esse.

Praecipuum vitium, mea quidem sententia, in hoc est, quod latinam linguam nostra explicamus unde tantum temporis in vanis inutilibusque terimus. Nos vero, ea quae falsa sunt, neglegentes, viam rationemque, quae nobis optima esse videtur, sequemur. Exemplum breve sane quomodo latina lingua atque litterae eis qui ipsis primum incumbant, facillime nec non aptissime tradi possint nunc mihi in animo est proponere.

En praecipua, quae in docendis eis, qui prima litterarum rudimenta obeunt, prae oculis, mea quidem sententia, habenda sunt:

- 1) Verba sint cottidiana atque simplicissima. Procedamus a facillimis ad difficiliora et quidem prudentissime. Festinemus non lente, sed lentissime. Hoc modo multa verba discipuli discent nec nimiis difficultatibus impediti animo deficient.
- 2) Agamus initio tantum de rebus notissimis atque eis quas sensibus percipere possumus. Ea, quae videre, quae, ut ita dicam, digito ostendere possumus, facillime intelliguntur. Variis syllabarum positionibus adhibitis constructionibusque sententiarum parum inutatis, linguae forma ac usus intuitu a discipulis facile percipitur. Cum vero ipsi se latine dicta intelligere comperiunt, tunc discendi studium in dies crescit et progressus magnos faciunt. Incipiamus ergo a rebus, quas manibus contrectare, oculis videre, auribus audire, naso oleare, palatu gustare possumus. Haec enim exempla ex vita usque cottidiano sumere possumus eaque facillime vel a pue-

rulis intellegi possunt; nam et videri possunt et omnibus nota sunt. Nihil vero facilius intellegi potest quam ea quae sensibus percipiuntur quaeque in manibus atque in usu cottidiano sunt.

Ut procedamus ordine, singula quae pro singulis sensibus explacentur et quomodo, breviter describamus¹.

VISUS

(Magister in manu habeat res, de quibus loquitur, ac discipuli repeatant alta voce sententias, quae a magistro alta ac distincta voce proferantur.)

Sententiae sint initio brevissimae, primum singulariter deinde pluraliter pronuntiatae; proferantur vero a discipulis una et quidem alta voce ac distincta (in hoc diligentissime magistrum imitantes) deinde vero singuli discipuli eas proferant. Caveat magister ne nimis serverus timorem loquendi discipulis incutiat. In his enim rebus discipulo animo opus est, magistro autem multa patientia.

Sententiae vero hujus modi sint:

<i>Liber parvus est</i>	<i>Libri parvi sunt</i>
<i>Liber magnus est</i>	<i>Libri magni sunt</i>
<i>Librum parvum lego</i>	<i>Libros parvos lego</i>
<i>Creta alba est</i>	<i>Cretae albae sunt</i>
<i>Nix alba est</i>	<i>Nives albae sunt</i>
<i>Herba viridis est</i>	<i>Herbae virides sunt</i>
<i>Tabula nigra est.</i>	<i>Tabulae nigrae sunt</i>
<i>Penna rubra est</i>	<i>Pennae rubrae sunt</i>
<i>Mare rubrum est</i>	<i>Maria rubra sunt</i>
<i>Argilla flava est</i>	<i>Argillae flavae sunt</i>

1. Opus, quod optime sententiam hanc illustrat, Lingua Latina Secundum Naturae Rationem Explicata inscribitur, 3 voll., Hans H. Oerberg, H. Veenman N. V. Wageningen, Holland.

AUDITUS

Hic magister, quæ discipulos attentiores faciat, animalia sibi imitanda proponere potest, praesertimque ea, quæ notoria sunt. Ubi fieri potest, operaे pretium erit, ut discipuli zoologicum hortum vel villam, quæ animalibus abundet, visitent. En nonnulla animalia eorumque voces.

<i>Equus hinnit</i>	<i>Equi hinniunt (hinnire)</i>
<i>Leo rugit</i>	<i>Leones rugiunt (rugire)</i>
<i>Porcus grunmit</i>	<i>Porci grunniunt (grunnire)</i>
<i>Grus gruit</i>	<i>Grues gruunt (gruere)</i>
<i>Bos mugit</i>	<i>Boves mugiunt (mugire)</i>
<i>Ovis balat</i>	<i>Oves balant (balare vet belare)</i>
<i>Canis parvus gannit</i>	<i>Canes parvi ganniunt (gannire)</i>
<i>Canis magnus latrat</i>	<i>Canes magni latrant (latrare)</i>
<i>Elephantus barrit</i>	<i>Elephantri barriunt (barrire)</i>
<i>Rana coaxat</i>	<i>Ranae coaxant (coaxare)</i>
<i>Serpens sibilat</i>	<i>Serpentes sibilant (sibilare)</i>
<i>Asinus rudit</i>	<i>Asini rudunt (rudere)</i>
<i>Gallus cucurrit</i>	<i>Galli cucurriunt (cucurrire)</i>
<i>Gallina gracillat</i>	<i>Gallinae gracillant (gracillare)</i>
<i>Passer pipiat</i>	<i>Passeres pipiant (pipiare)</i>
<i>Pullus pipat</i>	<i>Pulli pipant (pipare)²</i>
<i>Infans vagit</i>	<i>Infantes vagiunt (vagire)</i>
<i>Homo loquitur</i>	<i>Homines loquuntur (loqui)</i>

Cum enim discipuli de vocibus, quas animalia emittunt, agi compiriunt ac ipsa animalia agnoscent, tunc nativa voce opus non est, nam ipsi eas intuitu sciunt: nam animal ejusque vox natura conjunguntur.

2. Caveat praeceptor ne nimia discipulis proponat. Temporis decursu cum usitatas formas omnino suas fecerint, tunc rariores vel geminae introducantur. E.g. dantur quoque formae pipiare, pipire. Idem dicas de pluribus aliis: e.g. elephas, elephans, elephantus.

GUSTUS. — De gustu pauca sufficient:

<i>Ficum dulce est</i>	<i>Fica dulcia sunt</i>
<i>Mel dulcissimum est</i>	<i>Mella dulcissima sunt</i>
<i>Mare amarum est</i>	<i>Maria amara sunt</i>
<i>Acetum amarum est</i>	<i>Aceta amara sunt</i>

TACTUS. — De actu plura adduci possunt, cum plura tanguntur quam gustantur.

<i>Glacies frigida est</i>
<i>Nix frigida est</i>
<i>Ignis calidus est</i>
<i>Ver tepidum est</i>
<i>Autumnus tepidus est</i>
<i>Hiems frigida est</i>
<i>Aestas calida est</i>

Praeterea plura facilius per contraria intelleguntur. Haec melius memoria tenentur per breves clausulas adversativas. En nonnulla exempla:

<i>Nix frigida, ignis vero calidus est</i>
<i>Hiems frigida, aestas vero calida est</i>
<i>Nix alba, fuligo vero nigra</i>
<i>Hoc vinum vetus, illud vero novum</i>

Quae supra memoravimus profecto alia ex aliis melius intelleguntur.

Idem dicas de multis orationis vocibus:

<i>Via lata est</i>	<i>Semita arcta est</i>
<i>Intro domum</i>	<i>Exeo domo</i>
<i>Gallia Cisalpina</i>	<i>Gallia Transalpina</i>
<i>Summus mons</i>	<i>Ima vallis</i>
<i>Saepe hoc accidit</i>	<i>Raro hoc accidit</i>
<i>Vir felix</i>	<i>Vir infelix</i>
<i>Pensum facile</i>	<i>Pensum difficile</i>
<i>Discipulus adest</i>	<i>Discipulus abest</i>

<i>Velociter venit</i>	<i>Lente venit</i>
<i>Pauca dicam</i>	<i>Multa dicam</i>
<i>Nox frigida est</i>	<i>Dies calidus est</i>
<i>Clam venit</i>	<i>Palam abit</i>

Alio in tres vel in plures partes dividi possunt. Verbi gratia:

<i>Mane</i>	<i>Meridie</i>	<i>Vespere</i>
<i>Mane jento</i>	<i>Meridie prandeo</i>	<i>Vespere ceno</i>
<i>Nuper nisi</i>	<i>Nunc mitto</i>	<i>Mox mittam</i>
<i>Dies brevis</i>	<i>Dies medius</i>	<i>Dies longus</i>
<i>Ver</i>	<i>Aestas</i>	<i>Autumnus</i>
		<i>Hiems</i>

Fere omnia adjectiva quattuor gradus praebent, scilicet positivum, comparativum, superlativum relativum et superlativum absolutum. Hic tantum unum exemplum liceat adducere.

Puella diligens est (gradus positivus).

Puella diligentior quam puer est (gradus comparativus).

Puella omnium diligentissima est (gradus superlativus relativus).

Puella diligentissima est (gradus superlativus absolutus).

Cavendum tamen est ne voces uno, sed potius simili modo, accipientur. Nam significatus ex contextu pendet. Hic plurimum prodest ante oculos habere verborum vim «analogicam», non «univocam», ut philosophi docent, saepissime esse, hoc est partim eodem partim alio modo sumendam esse.

E.g. *Pira legere et librum legere* aliud alio modo accipitur; idem dicas de his sententiis: *homines arva colunt; homines deos colunt*. Harum sententiarum infinitus est numerus nec est necesse ut haec nos hic amplius detineant nisi res summi esset momenti.

Liceat ergo nobis unum tantum exemplum afferre, quod unius saltem vocis vim amplissime declareret, ut videatis quot quamque varios significatus una eademque vox interdum sumere possit variis sane ex contextibus.

Sumamus v. g. verbum «*gerere*» quod usitatissimum est.

<i>Tunicam gerere</i>	— to <i>wear</i> a tunic
<i>Personam gerere</i>	— to <i>play</i> a part
<i>Tibi honorem gerere</i>	— to <i>obey</i> or to humor you
<i>Clipeum gerere</i>	— to <i>carry</i> a shield
<i>Se honeste gerere</i>	— to <i>behave</i> honorably
<i>Bellum gerere</i>	— to <i>wage</i> war
<i>Squalentem barbam gerere</i>	— to <i>have</i> a messy beard
<i>Coronam gerere</i>	— to <i>wear</i> a crown
<i>Amicitias gerere</i>	— to <i>be</i> friendly
<i>Saxa gerere</i>	— to <i>carry</i> stones
<i>Res gerere</i>	— to <i>rule</i>
<i>Odium gerere</i>	— to <i>hate</i>
<i>Fruges gerere</i>	— to <i>produce</i> crops
<i>Onera gerere</i>	— to <i>bear</i> burdens
<i>Fortem animum gerere</i>	— to <i>be brave</i> ³

PARS ALTERA.

Cum vero quae singularia, quae pluralia, quae nominativa, quae autem accusativa sint discipuli perdidicerint, tunc ad alia transeundum est. Tamen caveamus, non me taedet hoc repetere, ne nimia neve nimis difficilia una ac repente doceamus.

Incipiamus ab eis quidem quae utilissima atque usitatissima sunt, ex quibus mihi vox activa et vox passiva primae occurunt.

Vox ACTIVA

<i>Mater filiam amat</i>
<i>Mater filias amat</i>
<i>Pater filium amat</i>
<i>Pater filios amat</i>
<i>Amicus amicum amabat</i>

Vox PASSIVA

<i>Filia a matre amatur</i>
<i>Filiae a matre amantur</i>
<i>Filius a patre amatur</i>
<i>Filii a patre amantur</i>
<i>Amicus ab amico amabatur</i>

3. *Elementary Latin: The Basic Structures, Part I*, page 11, by Grace A. Crawford, et alii; Ann Arbor, The University of Michigan Press, 1963.

<i>Discipulus litteras amat</i>	<i>Litterae a discipulo amantur</i>
<i>Agricola campum arat</i>	<i>Campus ab agricola aratur</i>
<i>Agricola campos arat</i>	<i>Campi ab agricola arantur</i>

Hic, si magistro videtur, constructionem gerundivam, quae usitataissima est, inducere potest. Tamen caveat ne nimis constructionem explicet, quod parum sane ad rem affert, sed potius plurima exempla eaque simplicissima adducat, ut discipulus vim ac formam dicendi intuitu arripiat. Hoc enim unum vere summi momenti est, cetera supervacanea, cum hoc missum sit.

SINGULARITER

Pater liberis amandus est.
Patria civibus amanda est.

PLURALITER

Paires liberis amandi sunt.
Patriae civibus amandaes sunt.

Quam plurima exempla adducantur, quo facilius atque perfectius discipuli omnia perspiciant suaque faciant. Cum vero haec et similia discipuli omnino sua fecerint tum ad constructiones, quae difficiliores sunt, gradatim transeundum est. Constructiones difficiliores eae profecto habendae sunt, quae quodammodo omnino sua sunt, hoc est quae in nostra lingua non inveniuntur nec ullo modo in nostram converti possunt. Ei tantum, qui duas vel plures linguas optime callent, sciunt quam multa non solum in rebus reconditis ac subtilibus, verum etiam in cottidianis ac usitatis saepe inveniuntur, quae ex alia in aliam linguam converti non possunt. In his casibus intuitu et intellectu acri opus est. Translatio non tantum nihil prodest, sed potius obest; quin immo explicationes interpretationesque rem potius obscuriorem redundunt quam lucidiorem.

Latine dicimus: *Amphora vini plena vel amphora vino plena. Pater filii similis vel pater filio similis. Pomponius Atticus omnibus amicus erat vel Pomponius Atticus omnium amicus erat. Puero nomen est Paulus vel Puero nomen est Paulo. Hoc mihi summo gaudio est. Mea interest ut bonus sis.*

In his et similibus ne explicet magister, praesertim ubi nihil explicandum sit, sed tantum describat ea quae observari oculis, ut ita dicam, possunt. Nam nisi discipulus intuitu ac perspicacia sua vim ac varietatem constructionis percipiat ex multis exemplis allatis, timeo ne explicationes supervacaneae sint. Hoc enim summi momenti est

discipulum intuitu quodam sibi innato, quid hoc quid illud valeat, intellegere. Quod nisi discipulus vel primo vel secundo vel tertio assecutus sit, magister ad alia transeat, et alio die de eadem re agat, donec tandem aliquando discipulus ipse percipiat, quid sit inter «*amicus Caesari*» et «*amicus Caesaris*». Sumamus nonnulla alia exempla: *Mea magni interest ut latinis litteris studeatis. Patris interest ut liberi valeani.* Discipulus facile intelleget nos latine dicere «*mea interest*», et ex analogia «*tua interest*» et ita porro, sed «*patris interest*», «*consulis interest*», etc. Idem dicendum est de reliquis constructionibus hujus generis. Quibus notatis, discipulus ipse facile ex exemplis norman sibi inveniet, qua similia intellegat et, ubi necessarium sit, explicet. Nota c. g. quomodo verba *piget, pudet, taedet, poenitet*, construantur. Latine enim dicimus:

*Amicum desidiae poenitet
Hoc amicum paenitet*

His ergo exemplis adductis, breviter constructiones commentatus, magister ne nimis in eis explicandis moretur, sed potius exemplis sexcentis adductis videat ut formarum vim discipuli ipsi arripiant. Nam alia partim per analogiam ipsi conderit, alia, quae anomala sunt, multa legendo, plura audiendo paulatim discent.

Cum discipuli multum in latinis litteris progressi fuerint, tum ad difficiliora transcendunt est et quidem novas formas atque constructiones variis modis adhibendo. Unumquodque enim verbum suo modo constructur, quod plura legendo, plura latine audiendo, plura et scribendo discipuli melius faciliusque discunt quam patro sermone ea describendo vel explicando. Ne vos taedeat quod haec iterum iterumque repeto. Sed in hoc magnum vitium, quod omnia explicare atque ad artis grammaticae leges reducere volentes, vel ea, dico, quae nullo modo possunt, maiores nostri inciderunt, unde non raro falsa docuerunt saepissimeque confusi evaserunt. Quem in errorem hodie quoque non pauci incidere solent.

Nobis omnino persuadendum est nullam linguam, nec latinam quidem, esse mathematicam disciplinam⁴ in qua omnia ad rationem et

4. Ex hac falsa opinione nonnulli credunt disciplinam mathematicam et linguam latinam fere idem esse, unde saepe idem magister ultramque disciplinam non raro nunc quoque temporis tradit. Quid vero latinae litterae mathematicae disciplinae afferant, prorsus non intellego.

claritatem reducenda sunt; in linguis plura intuitu atque sensu, quae rationis legibus repugnant, inveniri, ubi ratio nihil prodest, arcana vero quaedam vis plurimum.

In latina lingua plura sanc eodem modo atque in nostra lingua construuntur, tamen et haec caute sumenda sunt⁵.

Latine enim dicimus:

*Dono tibi librum
Dono te libro
Jubeo discipulos libros legere,
Impero discipulis ut libros legant.
Pedibus utimur ad ambulandum
a?
Pedes adhibemus ad ambulandum, vel melius et
simplicius: pedibus ambulamus.*

Dantur quoque verba quae mutando constructionem mutant et significatum.

Verbi gratia:

*Filius patri consuluit, hoc est filius curam habuit de patre, ne pater ulla re egeret; altera vero sententia:
Filius patrem consuluit, significat, filius patrem sententiam rogavit.*

Brevi: nulla lex omnia regit, sed praecipua artis grammaticae principia discenda sunt, cetera vero ex scriptorum usu. Nimis enim artis, plus nocet quam prodest. Tantum artis velim discipuli discant, quantum omnino necessarium est ad formas verborum praecipuas atque constructiones intellegendas⁶.

5. Plura sane ex latina lingua in nostras transierunt. Hoc profecto accidit non solum, quia majores nostri optimorum scriptorum litteris studuerunt, sed etiam Christianorum. Unde non raro eadem constructio in latina et in nostra lingua invenitur, quod ad comprobandum verbi «donare» constructionem hoc loco adduxi.

6. Sed ne quisquam se linguam latinam ex arte grammatica didicisse credit: praecincta ex ea sane discere possumus, facilitatem vero et copiam scribendi et loquendi intellegendique ex diuturna scriptione et locutione et auditione tantum acquirere possumus.

Plura quidem utilissima ac necessaria dicere possumus, quomodo latine et tempus et locum et sescenta alia exprimamus, sed si omnia hic vel tangere velimus, timeo ne longius a proposito aberremus. Longum enim est omnia vel breviter adumbrare. De his alias. Quae supra dixi, instar exempli tantum proposui, ut vobis formam dare, quomodo, mea quidem sententia, latinae litterae latine in rudimentorum ludis tradendae sint. Rationes quidem atque viae multae dantur: tamen aliam alia meliorem esse arbitror. Quae vero sit optima, alii disputatione. Hoc mihi compertum atque persuasum jamdudum est, nempe hanc methodum, quam supra adumbravi, meliorem illa esse, quam fere omnes magistri nunc temporis sequuntur. Peregrinam vero linguam nativo sermone docere labor sane Herculeus nec non Sisyphus est. Nos sane litteras latinas didicimus, multis ac paene innumeris superatis difficultatibus. Alios eadem via ne cogamus, si facilitior, si expeditior, si brevior datur. Speramus nos tandem aliquando sapientiores factos naturam secuturos esse, quae optima est dux, et quae difficiliora sane sunt faciliore aliquo modo fore ut doceamus.

BOLESLAUS S. POVSIC, Latinarum Litterarum Professor
Bowling Green, Ohio 43402 in Universitate Boulingriensi
in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus (U.S.A.)

TEMPOS AMANDI

Nunc Zephyro valles et litora limpida rident,
Nunc memorabile Amor incipit eloquium.
Nunc mulier mea me apertis cupidisque lacertis
Ad gremium rogitat voce canente suum.
Ecce adsum, dea. Te volui semperque tenebo:
Quid Zephyrus, quid est musica? Nil sine te.
Nil sine te mundus, sine te lacrimabile funus
Vita est. Verba volant, sed remanebit amor.
Res omnes pereunt mortis in gurgite fusco,
Oscula nostra manent. Dum loquor, heu volitat
Tempus amandi et heu valles et litora et omnes
Montes splendoris dimidium accipiunt.
Oscula et oscula et oscula fervida fortia dona,
Accipe et oscula, amor, et sine verba cadant.

PRECES SUPREMAE

Da mihi perpetuam,
Musa, rosam
cujus in imperio
inveniam
mortua vera; rosam
non oculis
neque meis manibus
sed animo
da, mea Musa, sacram.
Candida da
astra mihi rutila,
astra hodie
exsilium quibus hoc
nubivagum
protinus in rapidum
lumen eat.
Parva peto: teneram
harmoniam
quae ingenium tacite
vincat et hoc

cor faciat placidum
vi placida
carmenis; et peto aquam
nunc super haec
volnera amara mea,
dulcis aquam
laetitiae ex labiis
dulcibus et
dulcibus. Alta canant
dona alii;
dona ego parva volo:
in gremio
virgineo caput hoc
ponere; te,
te, mulier mea, te in-
tendere, te,
Terra mea intima, nunc
noscere, te
saecula per placida
scire domum.

S U B S I C I V A

C O N S A N G U I N E A R E G I S

Leonem regem esse quadrupedum omnium, dominatorem in regno mammalium animalium pervetusta omnibus fere populis communis opinio est. Nos quoque leonem juba magnifica circundatum, oculis torvis praeditum, cauda in cuius extremis aculeus latet flocculo obtectus exornatum, leonem gressu quasi regali incidentem, voce tremenda rugientem dum contemplamur eandem opinionem, ut amplectamur facile adducimur.

Si quis autem in ordine ac ratione animalium, quam Carolus Linnaeus saeculo XVIII summo digessit ingenio de leone sciscitatus erit, eum in familia una cum fele inveniet collocatum. Attamen felis, licet sit cum leone propinqua cognatione conjuncta et propterea, si dicere fas est, regio genere orta, saepe saepius ab hominibus contemptui habetur et despicitur. Quod tamen non semper sic erat.

Apud Aegyptios veteres felis erat sanctissimum omnium animalium: quicumque felem interfecit, capit is poenam subiit. Dea Aegyptiaca, nomine Bast, felino capite praedita effingebatur. Quam deam, Osiridis et Isidis filiam, Graeci Artemidi et Romani Dianaee aequiparabant. Germani ielem animal Freiae deae sacrum esse credebant: teles carpento deae junctae erant.

Procedente tempore, quamquam paganae religionis commenta ex animis hominum christiana veritate collustratis sensim avulsa sunt, imaginationes superstitiones non paucae diu manserunt et adhuc manent. Ex numerosis sententiis superstitionis, quae de fele narrantur quaeque, quod admodum est deplorandum, et creduntur, pauca proponam exempla.

Felis magicae artis est perita; felis morbos absorbet, ejus cadaver sub limine habitaculi defossum habitantibus mala adfert. Felis tricolor domum ab igne servat et homines a febri. Caro felina medicamentum est ad phthisim; qui autem pilum felinum deglutit, eadem phthisi afficitur. Si feria sexta feles rixantur noctu, homines ipsi mox jurgio contendunt. Nonne et nostris quoque diebus non anus tantum debiles

et decrepitas, verum et viros aetate firmatos cernimus, qui iter suum pergere formidant, si felem atram id transgredi paulo ante animadverterunt?

Sed de superstitione hactenus.

Homines non pauci animo sunt aversissimo a fele, eamque fallacem, dolosam, fraudulentam esse arbitrantur, in qua fiducia non est collocanda. Conferunt eam cum inimico ejus cane: eum diligunt et laudibus extollunt, illam neglegunt et despiciunt; immo fidem ab ea prorsus abjudicant. Sed animadvertisendum est canem jam ab ultima antiquitate domatum et condecefactum esse, eum cum homine vago adhuc et in culto de tentorio ad domum solidam transmeasse. Felis autem vere domesticum est animal, quod longe serius hominem ad humanum cultum civilemque deductum, tectum ac domum firman jam inhabitantem, secutum est. Felis homini, qui multo eam attingit, firmiter adhaeret; quod ni ita est, domui et loco potius est addicta quam hero. Semper autem aliquantulum liberae voluntatis sibi servavit, nonnulla ad suum arbitrium refert: non est, sicut canis, hominis dicioni prorsus obnoxia.

Rerum naturalium investigatores, viri zoologiae et psychologiae veterinariae peritissimi inveteratam illam vulgarem opinionem falsissimam oppugnare et refellere desierunt numquam. Sed studium frustra erat: «Occidit miseros crambe repetita magistros», ut apud Juvenalem legimus.

Est igitur felis ocreata domestica Briss., ut secundum Maturinum Jacobum Brisson a doctis appellatur, animal admodum tersum, mundum, decorum, jucundum semper adspectu, sive mollibus plantis tenerrimo graditur incessu, sive saltu ingenti murum transilit altum, sive arborem magna cum perniciitate et celeritate ascendit, sive post tornacem convoluta cubat, totam pellem jugiter tergens et lingens usque ad caudam extremam. Omnia in ea plena sunt harmoniae et elegantiae.

Felis bene et prudenter tractata magno amore amplexum tenet herum et sua in eum studia proprio confitetur modo: mane lectum insilit, haud procul ab eo considit, pueriliter ei blanditur. Tenet fama feles fuisse, quae a feretro domini vita functi vix recesserint.

Vix ulla est bestia quae ea, quae sentit et cogitat quaeque facere intendit tam clare, tam aperte, tam intelligibiliter et oculorum candore nictuque, et aurium erectione vel depositione, et labiorum distractione, et narium contractione, et pellis horrore, et caudae agitatione, et spinae dorsi incurvatione denuntiet et praemonstret. Aliter se gerit si dominulo, aliter si inimico, quem vere timet, minatur, aliter

si ab impugnatione se vult defendere, aliter si hostem cupit impetrare. Contemplare, sodes, selem quae bestiae robustiori et fortiori minitatur: horricomis spinam dorsi in gibbum curvat, verisimile ut ingentior appareat, aures reclinatae sunt, anguli oris retracti, nares corrugatae. Murmur ex imo pectoris ascendens auditur. Interdum hians sibilatus edit. Homini autem felis non raro minatur quam vehentissime, armum ad feriendum jam promptum tenet, ringitur, stridet veluti monens: si me tetigeris, te percutiam et mordebo. Verumtamen ab impetu demum se abstinet. Num haec est fraudulentia? num deceptio?

Et quanta cura, quanta diligentia, quanta teneritate proli plerumque numerosae consulit. Simul ac pullos enixa est, eos lambit et mulcet, labiis potius quam dentibus eos adprehendit et rumae supponit. Mox cum parvulis colloqui incipit, voce multimodis flexa maurnans eos allicit. Et parvulorum catervula vocatum maternum audit et intelligit: inepte adhuc et tardiuscule ad genetricem alementem, foventem, custodientem repit. Sensim parvuli agilitatem dexteritatemque adipiscuntur et corporis animique vires ludendo exercent, matre semper docente et opitulante. In prole defendenda aelurus ingentem virtutem praestat.

De utilitate felis nimia verborum prolixitate disserere desino, quia res est satis omnibus nota. Aelurus cellam penariam longe melius a muribus purgat quam muscipula aut offae veneno infectae. Summa agilitate sorices indagat, persequitur, capit, occidit, edit.

Felis adulta cottidie ad viginti mures devorat. Non est mirum, si felis nimia venandi cupiditate instincta interdum et aviculas aucupatur implumes, pullos gallinaceos rapit, immo et lepores et perdices aggredi audet.

Stultum ergo est et injustum, ut demonstrare conatus sum, animal tam gracile, tam molle, tam jucundum, tam utile propter quae-dam falsa praejudicia, sescenties a doctissimis viris jam reprobata, despicere et contemptui habere, immane vero et abominabilc crudeliter illud vexare aut torquere.

At contra ii minime sunt probandi, qui, sive fraudibus humanis decepti, sive alia causa ducti, nimiam dilectionem aut in canes aut in feles conferunt. Macteis bestias saginant lectissimis, in lectis eas ad dormiendum collocant, earum cadavera in coemeteriis sepeliunt. Quicumque quadrupedem plus diligit quam proximum suum, procul dubio graviter peccat: sodomiam committit socialem, ut commode dicit Conradus Lorenz, vir zoologiae peritissimus contemporaneus, sodomia sexuali haud minus foediorem et detestabiliorem.

Ego vero non dubito, quin felis sit digna, ut eadem dilectione eam amplectamur, qua omnia animalia debemus amplecti, ut creaturam Dei, eamque praestantem, licet longe inferiorem homine, quem, uti Psaltes profitetur, paulo minorem fecit Angelis, cuique potestatem dedit super opera manuum ejus.

Dr. GUSTAVUS WALLNER
Vindebonae in Austria
Hansi Niese-Gasse 3
A-1190 Wien

PER ORBEM

VIGET ADHUC LATINITAS

XI CERTAMEN VATICANUM

Die VI Kal. Maj. Paulus PP. VI admissione et alloquio Pontificis dignatos recepit in aedibus Vaticanis eos qui ex XI Certamine Vaticano videntes excesserunt. Aderant etiam qui commentariis, cui index est LATINITAS, praesunt viri: A. Tondini, J. Del Ton, G. Zannoni, Prof. Paratore, Egger, Brignoli, Marsiglio, Mir; qui adjutricem operam commentariis navant: Prof. Parisella, A. Albertani qui primo praemio est in soluta oratione donatus, O. Pasqualetti qui secundum praemium in re poetica adeptus est; scholastici quoque A. Arlati et J. C. Gatti, qui mentionis honorificae diplomate sunt insigniti.

Dnnus. Amletus Tondini, LATINITATIS Praeses, nomine omnium adstantium, hanc salutatoriam coram S. Pontifice habuit orationem:

Beatissime Pater,

Qui Commentariis edendis praesunt, quibus *Latinitas* index; qui vel consiliis vel scriptis eorum opitulantur moderatoribus; quique e Certamine Vaticano XI nobilem palmarum hesterno die tulerunt, hic, ante oculos Tuos, adsunt.

Quanto autem iidem afficiantur animi gaudio, quantasque Tibi habere gratias cupiant, quod uni, prae ceteris beati, Te coram sincera admitti, minime ipse dicam necesse; ora enim oculique eorum satis significant.

Nam cum omnes, quamvis alii aliter, *Latinitatis*, ut ita dicam, signa sequantur vires suas in bonam causam, qua etiam illa nititur fuditque, haud parce impendant, cum hac Apostolica Sede, quae Latinitatis vexillum proponit et defendit, quam artissimis vinculis cohaerent atque congruunt. Ceterum, compertum iis maxime est, Te, Beatissime Pater, anno MCMLIII, cum alterum

a Cardinali publicis Ecclesiae negotiis praefecto ageres, ut, Sancta Sede auspice, antea hi commentarii ederentur, mox autem Certamen Vaticanum ediceretur, a Pio XII consecutum esse; neque eos fugit, et Commentarios et Certamen postea Te quacunque ratione adjuvisse.

Quibus ex rebus sequitur, ut nos omnes, ad Te benevolentissime deducti in primis pro Tuis hujuscemodi officiis gratias tibi persolvamus, dein vero, cum pro certo habeamus propositum nostrum longe optimum esse illam scilicet alendi humanarum litterarum quasiflammam, aperte profiteamur, ab illo numquam nos esse declinaturos.

Quibus autem verbis Tu, Beatissime Pater, nos es allocuturus, iis in muneribus nostris perficiendis semper regemur atque incitabimur; quam vero Benedictionem nobis impertitus es, illa a Summo Deo impetrabimus, ut ejus gloriae ejusque Ecclesiae, quidquid agamus, semper inserviamus.

His verbis a Dnno. A. Tondini prolatis, Paulus PP. VI hanc luculentissimam omnibus, qui adstabant, sermonis latini cultoribus orationem dicavit. S. Pontificis verba non dubitamus quin maximo futura sint adiumento, iis vero praesertim qui disputare audent quem locum nunc sive in liturgia sive extra liturgiam habeat lingua latina.

Spectatissimi qui adestis Viri.

In Nostrum quasi honorem cedere putamus hodie in ipso domo Nostra admittere coram praeclarorum cultorum doctorumque linguae Latinae coetum, qui e Certamine Vaticano undecimum proposito victores abierunt. Quin etiam fatemur libenter, Nosmetipsos hunc vestrum ad Nos aditum optavisse, cum Nobis jamdiu consilium esset, ut iis qui alii aliter de intelligentia, de studio deque Romani sermonis dissemination bene meriti essent, cum magnam Nostram de ipsis testaremur opinionem, tum stimulus congruenter adderemus.

Persuasissimum enim habemus, Latine doctis, in Summi Pontificis domo, animis commode esse opportere, utpote in qua, veluti in domo sua, periti, ingeniosi sollertesque et antehac versati sint et etiamnum versentur graviorum Apostolicae Sedis actorum scriptores. Qua de re, nisi id temporis angustiae veterant, magnam illud haberet utilitatem, verbis illustrare quantum Decessores Nostri Latinitatis studia soverint; sive linguae Latinae fortunam splendoremque amplificantes, sive ejus peritissimos firmantes et erigentes, sive illarum explicandarum artium et litterarum fundamenta jacientes, quarum historia aeque fastigia enarrat. Ad quod evincendum satis sit animadvertere, hinc quem locum Sanctus Hieronymus apud Damasum Summum Pontificem obtinuerit, hinc quot qualesque praeclarissimi viri e sacro ordine eo tempore exstiterint, cum humanitatis renata renovataque sunt studia.

Sed nolumus hoc loco, ne strictim quidem, eas laudes exponere, quas catholica Ecclesia colventibus saeculis in optimarum litterarum provincia sibi pepererit; cum vos

admittentes coram id unum placeat confirmare, nos hic apud Apostolicam Sedem neque loco hospitum neque loco advenarum putari, sed optimo certoque tamquam jure civitatis frui. Jamvero Romae nomen singularem sanctae Ecclesiae utilitatis fructum et praebuit et praebet: quod primum eidem ordinacionem illius imperii suppeditavit, quae providenti Dei consilio per apta visa est qua in omnes terrarum orbis vias, sub Romanorum dicionem subjuncti, Christi nuntium, demissum sed index, humile sed vitor, abditum sed pretiosissimum, longe lateque dimitteretur; quod deinde Ecclesiae ipsi, cruentum eluctate discrimen, conjunctionis tamquam instrumentum, linguam Latinam commodavit, quam in sacris ritibus perpetrandis, in ecclesiastico jure definiendo, in populis stirpe et cultu disparibus inter se conciliandis usurparet: ita nempe ut illa communis omnium Mater, sermonis indicio et velamento usa, universas ubique gentes ea vera, intima, arcanaque unitate inter se consociaret.

Ad quam miram animorum populorumque conjunctionem efficiendam, quoniam nonnihil haec lingua, pro portione, contulit, eam esse, ad historiae fidem, linguam catholicae Ecclesiae Latini Ritus appellandam nemo, opinatur, jure non assentitur; etenim Ecclesia, de Decessoris Nostri f. r. Pii XI sententia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permanens..., sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem (Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium: A.A.S. 14, 1922, p. 452). Quae extrema significantia verba proximus Decessor Noster ven. mem. Joannes XXIII, sermonis

Latini commoda et utilitates paucis commemorans, ea maximi momenti edita Constitutione Apostolica Veterum sapientia (cfr. A.A.S. 54, 1962, pp. 129-135) copiose explicavit.

Quod vero ad Nosmetipsos attinet, non modo gravia Decessorum Nostrorum acta a perte probavimus, sed etiam Litteris Apostolicis Motu proprio datis (cfr. A.A.S. 56, 1964, pp. 225-231), quibus Studia Latinitatis initium, Pontificium Institutum Altioris Latinitatis condidimus, eo pertinens ut diligentissime lingua Latina erudirentur, quibus munus esset obeundum eandem linguam cum in sacris Seminariis tum in religiosis Sodalitatibus docendi. Alia praeterea in lucem emissa Epistula Apostolica, Summi Dei Verbum inscripta (cfr. A.A.S. 55, 1963, pp. 979-995), quarto exacto saeculo a Seminariis per Concilium Tridentinum constitutis, omnino oportere asseveravimus: in studiorum... supellectile... sane ponendam esse non exiguum variarum linguarum scientiam, in primisque Latinae, si maxime de sacerdotibus ageretur Latini ritus (cfr. ibid., p. 993).

Quamobrem, hisce freti rationibus, hodie, vestro coram prudentissimorum vivorum coetu, haec iterare percupimus: scilicet linguam Latinam nostro etiam tempore colendam esse, praesertim in sacris Seminariis domibusque juventuti a religiosam vitam instituendae. Nam hunc practerire sermonem haud quam licet, si vere contendatur adolescentium ingenia exacuere, eademque ad litterarum studia et ad Sanctorum Patrum perscrutanda ac per volutanda opera formare, et praesertim ad vetustos sacrae Liturgiae delibandos thesauros parare. Cujus linguae si desit notitia, aliquid prorsus detrahatur altiori illi atque absolutae mentis educationi

-nominatim ad theologiam et liturgiam quod attinet - quam nostri temporis homines a sacerdotibus requirunt, quamque Oecumenici Concilii Vaticani II Patres saepius atque impensissime suaserunt, sive decreto a verbis incipiente Optatam totius de disciplina sacerdotali, sive Constitutione de sacra Liturgia (n. 16), sive aliis quoque editis normis.

Quare ob hanc linguae Latinae vim atque efficacitatem ad ingenia colenda eaque ad graviora studia componenda, valde cupimus ut ipsa debitas partes obtinere perget. Neminem tamen latet, Noi, volenti libentique animo obsecundantes perspicuis ab Oecumenico Concilio Vaticano II traditis normis, ubique curavissemus, ut in sacram Liturgiam singularum hujus temporis linguarum usus induceretur. Ad quod faciendum adducti profecto sumus, non quadam quasi Latinitatis negligentia, sed acri pastoralis Nostri munieris ejusque necessitatis conscientia, quae ab animorum ductoribus exposcit, ut divini verbi pabulum, sacra Liturgia comprehensum, ubertim praebeatur, simpliciter tamen forma atque ad intellegendum apta, quae Christi fideles ad religiosorum rituum percipiendam suavitatem ad eosque alacriter seduloque participandos conducat.

Profecto patet - idque potest iis dicere cupimus qui, improvida quadam animi levitate vel novarum rerum inconsiderata cupiditate moti, putant, ab Ecclesia Latinum sermonem jam prorsus neglegi debere - profecto patet, inquit, oportere hujusmodi linguam praecipuo in honore habetur, egregias nimurum gravesque ob causas, quas commemorarimus; attamen plane obliviscendum non est - idque iis dicimus, qui, cum sint nimii vetustatis servandae cultores ob inane quoddam

pulchritudinis studium, vel quibuslibet rebus novis praejudicata opinione adversi, recens inventas mutationes acribus notavere verbis non est plane obliviscendum, inquitimus, linguam Latinam pastorali animorum curationi inservire debere, non autem sibi metipsi. Cum igitur ea defenduntur jura, quae haec lingua in Ecclesia adepta est, maximopere vitandum est, ne pastoralium munerum renovationi, ab Oecumenici Concilii Patribus mandatae, inferantur impedimenta aut freni adhibeantur; quandoquidem, hac etiam in rerum provincia, suprema lex animorum salus sit operat.

Haec, dilecti Filii, vobiscum communicare optavimus, in nobili hoc conventu, quem vestra comitas vestrae doctrina gratiorem Nobis fecerunt. Gratulamus igitur vobis constantiam, studium, ardorem, quibus in Latinitatis cultum et disciplinam incumbitis, vobisque animum addimus, ut incepsum persequamini iter, quamvis interdum sit levaminis parcissimum. At vobis

summo sit solacio penes vos esse, primum hominum atque in primum hominum atque in primis adolescentium mentes ad antiquitatis studium atque ad humanitatem fingere, sine qua ipse doctrinarum processus algore rigescit, et in humani generis detrimentum vertitur; deinde homines sui ipsius suaeque praestentiae notitia ditare, sive ad praeteritum sive ad praesens tempus quod spectat, ipsisque aeternas sui animi dotes illustrando explicare; postremo litterarum, artium discipularumque hereditatem illasam et indemnem posteris tradere, qua noster etiam civilis cultus hodie alitur, quamque Ecclesia sancta adhibuit adhibetque validum quasi instrumentum ad hominum animos inter se consociandos atque ad pacis necessitudines inter populos foandas.

Extremum ad haec omnia vos adhortantes, Apostolicam Benedictionem vobis, vestris propinquis, studiisque in quibus collocatis operam, perlibenter impertimus.

XIX CERTAMEN CAPITOLINUM

Lectoribus amicisque exitum nuntiamus XIX Certaminis Capitolini ab Instituto Studiis Romanis Provehendis superiori anno indicti.

In hoc Certamine Capitolino, quod adire jure potuerunt ex omnibus gentibus ac nationibus scriptores solitae orationis latinae, hoc anno nobilis victoriae palman tulerunt:

Prof. Theobaldus Fabbri e loco Foro Livii (Forlì) in Italia, qui primum assecutus est praemium propter disputationem cui index: "Ut turbo bellum".

Rdus. Pater Felix Sánchez Vallejo, S. J., hispanus, secundum obtinuit in certamine locum cum scripto: "Caelum ipsum petimus stultitia".

Prof. Orestes Allavena, Nilus Casini, Theodorus Ciresola, Humbertus De Franco, Theobaldus Fabbri, Josephus Morabito, J. K. Newman (anglicus) mentione honorifica honestati sunt.

Praemia victoribus sunt in Capitolio die XI Kal. Maj. distributa.

B I B L I O G R A P H I A

OGLIVIE, R. M. - RICHMOND, I. — *Cornelii Taciti De Vita Agricolae*. Oxford University Press, Ely House, 37 Dover Street, London W1, 1967, pp. 340.

Hoc opus *De Vita Agricolae*, uxoris Taciti fratri et Proconsulis in Britannia ab anno LXXVII ad annum LXXXIV, magni momenti est ad historiam romanorum in Britannia illustrandam; unde nihil mirum, si apud Anglos praesertim hoc opus semel iterumque edatur et variis commentis ornetur. Haec nova editio a Richmondo, nonnullis abhinc annis incepta, post ipsius mortem, a clarissimo oxoniensi professori Ogilvie revisa et ditata, amplissima est omni laude digna. Continet introductionem de rebus praeципuis ad hoc opus Taciti maxime spectantibus (pp. 1-90), textum criticum pp. (91-124), commentarios seu explanationes de re historica, archaeologica, grammatica, rhetorica cet. (pp. 125-385); demum octo imagines luce pictas, quae res in opere tractatas clare illustrant. Auctorum commentarii ad cognitionem hujus operis Tacitiani in Liceis seu Universitatibus praesertim valde juvabunt, ut ipsius Ogilvie opus *A Commentary of Livy* (Oxford University Press, 1965) valde juvat.

BIELER, L. — *History of Roman Literature, condensed and adapted from German*, with the collaboration of the author, by JOHN WILSON. Macmillan, London W. C. 2, 4 Little Essex Street, 1966, pp. 210.

Hoc opus de litteris latinis parvac

quidem molis est, sed magni ponderis, claretque inter tot opera quae de hac re ubique terrarum maxime abundant. Opus enim est perspicuum, breve, criticum cum recto judicio de unoquoque scriptore ejusque operibus. Unde nihil mirum si, locis nonnullis parce detortis atque aptatis, ex lingua germanica versione anglica exierit, opera ipsius auctoris allata, cura et diligentia Joannis Wilson. Quod quidem in laudem operis et germani auctoris vertit.

SCHLEGEL, A. W. — *Vorlesungen über dramatische Kunst und Literatur*, W. Kohlhamer Verlag, Stuttgart, 1966, pp. 264.

Habes in hoc volumine sexdecim praelectiones de arte et litteris dramaticis, olim quidem ab auctore Vindobonae traditas, quae tamen usui esse possunt recentioribus, ideoque Edgardus Lohner nuper edandas curavit. Auctor illud maxime intendit, scilicet, ea omnia, quae ab aliis variis diversisque rationibus enuntiata sunt, ordinare et ad unum referre, principia statuendo, quibus res dramatica universa semper et ubique regitur. Distinctionem instituit inter rem poeticam et dramaticam; attente considerat quae tum Graeci tum Romani hac in re statuerunt; demum de arte dramatica disserit apud recentiores scriptores sive Gallos, sive Anglos, sive Italos, sive Hispanos, in iis praesertim rebus, quas a Graecis et Romanis scriptoribus receperunt sancteque asservarunt. Opus est ad argumentum de quo agitur valde utile.

HERZOG, R. — *Die allegorische Dichtkunst des Prudentius.* C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1966, pp. X-144.

Haec disquisitio argumentum praebet ad Lauream in Facultate Philosophica Universitatis Kielensis obtinendam, quae digna fuit ut recipetur in collectione cui titulus est "Zetemata". Momentum hujus dissertationis in eo est quod argumentum speciale in operibus Prudentii, praeclari poetae christiani, clara ratione et testimoniorum copia evolvit. Auctor in introductione inquirit primum allegoriae notionem ejusque usum et formas, praesertim apud christianos poetas; deinde de statu studiorum, quae ad Prudentium attinent, disserit. Opera quae recentiore atate apud germanos, gallos, italos, anglos, edita sunt, optime novit; nonnulla quae apud hispanos, nequaquam quidem spernenda, prodierunt, ignorat vel praeterit. Postea in duobus capitibus agit de allegoria in Prudentianis operibus quibus index est *Pristephanon* atque *Cathemerinon*. Demum allegoriam in *Psychomachia* attente et diligenter investigat totumque claudit opus inter se conferendo *Praefationem* allegoricam Prudentii et Claudiani in *Gigantomachia*. Opus quidem est accurate conscriptum quod argumentum propositum optima ratione pondereque auctor evolvit.

MORRIS, S. — *Viae Novae: New Techniques in Latin Teaching.* Hulton Educational Publications, London, 1966, pp. 94.

In hoc volumine proponuntur novae viae ad linguam latinam docendam variis exemplis et opinionibus confirmatae. Auctor accurate colligit quae recentiore aetate de hac re disputata sunt usuque exer-

citata; quae, postquam ad trutinam impendit, ordinat atque lectoribus consideranda profert. Nonnulla praeterea breviter libris auctoribusque illustrat, qui de hoc argumento apud Anglos praesertim scripserunt.

TRAINA, A. - BERTOTTI, T. — *Sintassi normativa della Lingua Latina.* Vol. I: *Le concordanze. Il nome*, pp. 374; Vol. II: *Il verbo*, pp. 248; Vol. III: *Il periodo*, pp. 332. Capelli editore, Bologna, 1965-1966.

Auctores hujus laudandae Grammaticae Latinae res ad syntaxim pertinentes non raptim et perfunctione agunt, sed pedetentim, ut regulae et principio altius in alumnorum animos inhaereant. Praeterea praecepta singula congruis exercitiis illustrantur, quia auctorum scopus est non tantum latinae linguae cognitionem tradere, sed etiam in ipsius usum alumnos inducere, quae via est aptior ad linguam latinam apprime callendam, quia ut veteres praedicabant "longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla". Magistris linguae latinae haec tria volumina magnopere commendamus, quae doctrinam syntaxeos continent uberrimam, quaeque amplissime atque perspicue enodatam, exemplorum copia ornatam, praebent.

WILINSKI, A.—*Das Römische Recht.* B. G. Teubner Verlagsgesellschaft, Leipzig, 1966, pp. 117.

In hoc volumine breviter principia juris privati exponuntur in usum adulescentium, qui hanc disciplinam ediscunt, immo et philologorum virorum, qui summatim de hac institui volunt. Continet brevem introductionem historicam, notiones et principia quibus jus romanicum vigebat, demum appendicem

quandam cle jure poenali. Opus clauditur (pp. 95-108) notulis seu additamentis bibliographicis et denique (pp. 109-117) indice seu registro rerum et nominum. Opus haud magnae molis est, sed maxime commendandum.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

SHERWIN-WHITE, A. N.—*Fifty letters of Pliny*, Edit. Ely House, London, 1967, pp. 185.

Opus "Fifty letters of Pliny", exaratum a Professore Sherwin-White, est compendium de re publica socialique Romae imperialis.

Id est quod professor vult lectoribus in opere monstrare. Qua de causa auctor optimum scriptorem Plinium elegit ut litteras ejus penitus investigaret. Professor Sherwin-White, classicarum linguarum peritus, librum offert scholasticis qui cognoscere optant mores consuetudinumque publicas et sociales apud Romanos. Auctor ostendit scilicet instituta Romanorum sequentibus Plinii litteris: A case of equity; On the Punishment of Christians; On fire brigades; On Treatment of convicts; The consular orders his tomb; Advice to provincial governor; A political adventure; A strict judge; On the Emperor's Cabinet; On buying an state; The life of a public official; Trial of a corrupt governor; The legacy hunter; A polity party; A Roman suicide.

Deinde Professor Sherwin-White his aliis litteris nobis monstrat necessitudines inter cives: Pliny goes a hunting; The daily round at Rome; A philosopher; The state of literature; Death of a former hero; A vulgar dinner-party; Promotion of a friend; Murder of a master; Portrait of a heroine; A poet retires; Hiring a schoolmaster; Snaps-

hot of a wife; Writting history; Illness of a servant; Vesuvius erupts; The technique of an orator; On literary recitation; A charitable gift; A gay old lady; Ghosts; The fountaine; Household slaves; Pliny Publishes his poems; At the race; Pliny and Tacitus; The African dolphin; Life in the country; Fuels among the gentry.

Credimus in hoc opere scholasticos Romanorum aetatis imperialis vitam resque colligere posse.

SHACKLETON BAILEY, DR.—*Cicero letters to Atticus*, Edit. Bentley House, London, 1967, pp. 331, 50s.

Opus doctoris Shackleton Bailey est compendium litterarum Ciceronis ad Atticum. Doctor Shackleton largitur scholasticis librum quo ii adjuventur ad litteras latinas intellegendas. Nam uniuersumque libri caput altero capite in Britannorum lingua scripto exornatur. Professor opus divisit in tres partes. Primum: Text and Translation, Commentary. Deinde: appendices (letter 372, the date of letter, 386, letter 426, manuscripts), Ardenda tot the Commentary, Concordance. Denique: index nominum, index verborum, index rerum. In hoc doctoris Shackleton libro scitissimum opus ad litteras optimi oratoris romaniani spectans professoribus alumnisque offertur.

D. MOSAKA, C. M. F.

SMITH, R-E.—*Cicero the Statesman*, 269 pp. Edit. Cambridge University Press, 1966, 45 s. net.

Volumine clarissimus in rebus historicis investigandis professor Smith nobis quaedam vult ostendere et patetfacere de primis Ciceronis annis in litteris tradendis, quo modo

cum Pompejus imperator creatus est atque cum Verres ad tribunal ductus est se gesserit, de Ciceronis consulatu et Catilinae conjuratione, quo modo Cicero primo triumviratus atque bello civili se opposuerit atque omnino quo modo Cicero Rem publicam servare conatus sit.

Opus tam magistris quam alumnis et vulgo offertur; qua de causa notis caret. Omnibus esse potest utilitati.

RICHARDS, I. A. — *Plato's Republic*, 196 pp. Edit. Cambridge University Press, Harvard, 1966.

In his pagellis nobis accuratissima in lingua gallicam Platonis operis "Res publica" dicti versio exhibetur. Haec duo prosequitur auctor: ut discipuli bonarum litterarum scriptores melius comprehendant atque Graecorum et Romanorum linguae, investigationibus hujus temporis adjuvantibus, studio foveantur. Versioni ampla praecedit praefatio in qua hae quaestiones agitantur: de societatis origine, de natura humana, de virtutibus, de civitatis moderandae ratione, et de aliis similibus.

PLATÓN. — *Obras completas* (traducidas del griego), 1.741 pp. Edit. Aguilar, Madrid, 1966.

Magnum volumen, quod lectoribus offerimus, Platoni, praeclaro antiquitatis philosopho, dicatum est. In eo omnia ejus opera colliguntur. Ex his rebus conflatur: ampla praefatio, in qua narratur quo modo ex initio usque ad Platonem philosophia se evolverit et qui "praesocratici" sint philosophi et vita, opus et doctrinae Platonis elementa. Librorum indice clauditur haec pars. Hanc longam praefationem omnia sequuntur opera, ex quibus alia non omnes critici Platonis esse affirmant;

alia sunt dialogi incerti, alia dialogi falsi et "definitiones". Quaedam sunt notae ad difficultates solvendas atque ad textus melius comprehendendos. Interpretatio in linguam hispanicam maxime nobis placuit; quam ob rem laudes auctribus dicamus atque prosperum eventum ex imo corde eis exoptamus.

MARTÍNEZ-FRESNEDA, M. E. — *Vocabulario básico de Herodoto*, 6 fascículos, pp. 45, 84, 32, 53, 19, 32, Edit. Ministerio de Educación y Ciencia, Madrid, 1966.

Hoc opus, in sex fasciculos divisum, tribus annis a M. E. Martínez-Fresneda confectum est. Auctrix haec intendit: librum, investigationibus auctorum adhibitis, exarare ut utilitati sit alumnis, quippe qui nondum periti in vocabulis graecis cognoscendis videntur, eisque Herodoti vocabularium monstrare.

Auctrix Herodotum legit, quod lectores ejus scriptis Graeciae historiam, humanitatem et mores melius cognoscere possunt et quod pueri hujus auctoris scripta libenter legunt.

In primo quidem libello principia fasciculis componendis explicantur. In secundo index vocum, quae in Herodoti scriptis inveniuntur, nobis offertur. In tertio 2224 voces in series dividuntur, puerorum decem et novem annos natorum facultatibus aptatos. Omnes series eundem vocum numerum pene habent. In quarto voces non usu frequentes memorantur. In quinto pronomina, adverbia, adj ectiva numeralia, praepositiones, conjunctiones... In sexto nomina propria ab Herodoto adhibita.

Hoc opus laude dignum censemus atque libentissime auctricem celebramus.

MARIOTTI, M. - *Victorini, M. Ars grammatica* (introduzione, testo critico e commento, 260 pp. Edit. Felice Le Monnier, Firenze, 1967. L. 3200.

Marius Victorinus vitam gessit et praestantissimus fuit Romae saec. IV regnante Constantio II, filio et successore Constantini. Hic scriptor inter grammaticos latinos eminet, et opera ad nos pervenerunt, ex quibus quae de grammatica sentia possumus inferre. Nullum aliud in grammatica perfectum opus cognoscimus, duobus operibus, quae sancti Augustini esse dicuntur, exceptis. Tamen quaedam de M. Victorini opere quaestiones, tam ad artem grammaticae quam ad alias res spectantes, sub judice sunt.

In Arte Grammatica auctor quamquam errores habet et pristinorum grammaticorum subtilitate omnino non caret et ab eorum communis sententia non differt, tamen amplam cognitionem et subtilem in rebus investigandis perspicuitatem nobis manifestat. Ad hanc sententiam probandam I. Mariotti, qui volumen paravit et adnotavit, quae de M. Victorino aequales et alii scriptores —uti Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus...— senserint declarat.

DE SANCTIS, G. — *Storia dei Romani*, Vol. III, parte prima, 420 pp. Edit. La Nuova Italia Editrice, Firenze, 1967, L. 5000.

Cajetanus De Sanctis, qui anno 1892 in litteris lauream obtinuit et anno 1900 in Taurinensi Universitate antiquae historiae professor nominatus est, duo praecipua opera scripsit. En ea: "Storia dei Greci" et "Storia dei Romani". In opere, quod nunc recensemus, fontes archaeologicae, epigraphicae et lit-

terariae simul colliguntur penitusque probantur. Ratio critica, ampla cognitio, proprium judicium et aperta expositio valde laudanda sunt. Quamquam investigationibus, quae ab auctoribus postea factae sunt, quaedam auctoris opiniones mutatae sunt, tamen "Storia dei Romani", optimum esse volumen omnes critici una affirmant, quoniam ex eo vir studiosus nova semper exhaustire potest. Hoc volumen, primo bello punico dicatum annoque 1916 jam editum, nunc lectoribus iterum vulgavit auctor. In eo enim alia, jam antea collecta scriptaque, minime negleguntur et mutantur, sed tantum recentibus investigationibus augentur; aliaque in appendicibus agitantur.

DROSSART, P. — *Térence, Les Adelphes, L'Eunuque, extraits*, 128 pp. Edit. Bordas, Paris, 1967.

Hac nova auctorum collectione ut alumni sine dictionario textus facile legere et intellegere possint intenditur. Hic libellus, accuratisime exaratus, his rebus constat: vocibus necessariis et grammaticae regulis ad textum comprehendendum; commentatione ad historiam, geographiam, biographiam spectanti ut textus alumnis evidentior sit. Ad hunc libellum parandum quaedam tantum selecta sunt fragmenta, quae discipulis maximae essent utilitati.

In ampla praefatione de Terentii aetate, vita et theatro, comediiis "Les Adelphes, L'Eunuque", grammatica, stylo, metrica, prosodia loquitur auctor. Haec omnia nobis multum placuerunt quod optime agitantur et probantur. Nova collectio professoribus permultum placabit et quoque alumnis. Quam ob rem eis commendamus.

DELLA CORTE, F. — *Virgilio, Eneide*, 320 pp. Edit. Mursia, Milano, 1967, L. 500.

G. U. M. (Grande Universale Murisia), "bibliotheaca universalis" esse intendit.

Omnia magni pretii opera, quae usque ad nostros dies in lucem vulgata sunt, lectoribus offeruntur ut ii ea facilius adquirere et legere possint. Haec bibliotheca universalis in tres partes dividitur: antiquitatis et hujus temporis scriptores optimos; principes in cogitando scriptores; universa opera scaenica.

Haec Aeneidos in italicum sermonem versio partem antiquitatis scriptoribus optimis dicatam aperit. Lectores in ea Vergilii ingenium, in scribendo elegantiam et cogitatorum perspicuitatem percipere poterunt et eur Aeneis optimum opus ex scriptis latinis sit intellegent. Ut rem in ea narratam melius comprehendamus, Franciseus Della Corte multas notas textui apposuit. Quamquam haec versio nihil novi est neque nobis lectiones varias offert, tamen lectoribus placere potest, quod operis forma et typorum pulchritudo accuratissima est.

HAYT, F. - WILLEMS-ELTGES, J. — *Préhistoire Orient-Grèce, tome I*, 377 pp. Edit. Wesmael-Charlier, Namur, 1967.

Volumen, quod rationi "Fédération Nationale de l'Enseignement Moyen Catholique" omnino aptatur, sexti cursus alumnis dicatum est. Hac enim ratione ut alumni quaestiones ad historiam spectantes actuose et perspicue ediscant intendit. Unaquaque quaestione, plurimis documentis innixa, pueros meditationi manu ducere prosequitur ut rerum gestarum memoriam

hominumque nomina non tantum mente retineant, sed etiam vitae cursum et sensum adquirant. Quanquam lectiones documentis abundant, et aliis nimia et aliis pauca esse videbuntur, tamen professorum est et ea alumnis aptare et nova inquirere et, si in lectionibus explanandis alumnis obsunt, minuere.

Documenta sunt varia: imagines, opera tessellatta, nummi... Sic alumni qui historiae sint fontes commode scient. Haec ratio in quaestionibus enodandis habetur: documenta, eorum explanatio et exercitia ut alumni lectionem mente facilis retineant et de ea judicium proprium efformare possint. In his omnibus valde nobis placuerunt brevitas et perspicuitas, quia incipientibus melius pauca quam multa esse censemus.

Historiae professoribus atque discipulis hunc librum libertissime commendamus quod eis permultum fore ut inserviat atque placeat nobis videtur.

LUCOWSKI-WEINERT. — *Grundzüge der Algebra*, teil II, pp. 227, Edit. Teubner, Leipzig, 1967.

Domus editrix Teubneriana, jam omnibus nota, novam collectionem mathematicis et rerum naturalium disciplinis dicatam offert. Omnes Palaestrae lectores quanti pretii Domus editricis Teubnerianae opera sint, sciunt atque quanta cura ea paret et exhibeat. Hoc opere, in quo de quaestionibus algebraicis tractatur, professoribus difficiles hujus disciplinae res explicare intendit. Qua de causa de algebra lectionum summa non est, sed potius ex variis hujus disciplinae lucubrationibus conflatur opus.

HAMEISTER, E.—*Geometrische Konstruktionen und Beweise in der Ebene*, pp. 138, Edit. Teubner, Leipzig, 1967.

In hoc opere, Domo editrice Teubneriana vulgato, quod ad mathematicas et rerum naturalium disciplinas in collectione etiam attinet, quaestiones geometriam spectantes explicantur. Tam professoribus quam alumnis dicatur, atque omnibus magnae utilitati esse potest quod res probe, diligenter et accurate agitantur, ut germani scriptores facere solent.

GENTILI, G. - MANSUELLI, G. - SUSINI, G. C. - VEGGIANI, A. — *Sarsina* (la città romana, il museo archeologico), pp. 77, Edit. Fratelli Lega, Faenza, 1967.

Hoc opus a multis confectum est professoribus, qui in eo studia collegerunt. Ita: —professor A. Veggiani nobis quedam de urbis Sarsinæ geographia, geologia et praehistoria dicit atque musei sectionem praehistoriae dicatam breviter describit; —professor G. V. Gentili de urbis propagine, de excavationum historia et urbis et Dionisii museo loquitur; —professor G. A. Mansuelli quaestionem de mortuorum architectura agitat atque quaedam de Obulacci, Rufi et Virginii Peti statuis et de statuariis religionis orientalis imaginibus nobis explicat; —professor G. C. Susini Lapidarium urbis et vicinorum locorum monumenta explicat. In fine libri plurimas imagines, ex praecipuis urbis Sarsinæ museis selectas, lector inveniet.

SANDBACH, F. H.—PLUTARCHUS, *Moralia*, VII, pp. 147, Edit. Teubner, Leipzig, 1967, 19 MDN.

Fragmenta, quae hoc volumine

continentur, non omnia unius sunt generis: alia ex opere aliquo deperdito ipsis fere verbis excerpta sunt, alia sententias tantum referunt. Tamen de quibusdam Plutarchi fragmentis nobis licet dubitare aut suspicari: haec asterisco signantur. Opera pseudoepigraphica hic minime lector inveniet. Sunt pleraque ex eis, quae inter "fragmenta incerta" accepta sunt a Bernardakis professore, qui multa ex anthologiis Byzantinis composuit, eadem Wyttensbach professoris ratione adhibita. Quoniam fragmenta e multis et variis auctoribus leguntur, in apparatu critico codicum lectiones apud auctorum editores investigandae erant. Tamen non omnes sine discrimine praebuit auctor, sed eas quae, Plutarchi lectorem tantum adjuvarent. In conjecturis memorandis similem rationem adhibuit auctor. Quamquam de omnibus auctoribus, qui Plutarchi fragmentum praebent, non loquitur auctor, tamen de quibusdam, qui multa servant, aliqua rettulit, ut lector de codicium pondere saepius obviorum aliquid ediscat, atque de ipsis auctoribus aliquid sciat.

Bibliotheca Teubneriana nobis aliud volumen offert collectionis "Scriptorum Graecorum et Romanorum". In eo textus criticus bene curatus, perspicuitas in rebus criticis et elegantia in quaestionibus solvendis manifesta sunt. Qua de causa laudes omnibus, qui hanc collectionem parant, iterum dicamus.

DELEANI, J. - VERMANDER, J. M. — *Initiation à la langue latine et à son système*, pp. 355, Edit. S. E. D. E. S., Paris, 1967.

Hoc volumine auctores has quaestiones solvere intendunt: in scho-

lis et universitatibus inopiam levare professorum qui alumnos bene erudiant; efficere ut alumni tribus annis et quinquaginta per annum horis ediscant quod alii alumni septem vel octo annis didicerunt; praestare universitatis alumnis librum aptatum. Qua de causa opus cui index "Initiation au système de la langue latine", si grammaticae elementa et praecipuae voces mente non retinentur, inefficax omnino est. Ideo in unaquaque lectione, textu cujusdam scriptoris adhibito, quaedam de Romanorum historia et cultu explicantur; grammaticae elementa (morphologiae et synthaseos) evolvuntur; voces commentario endantur; exercitia alumnis exhibentur; quaedam de linguae conformatione dicuntur; textus, vocum et grammaticae index colligitur. Hac ratione in lingua latina tractanda alumni manu ducuntur ad synthaseos regulas et scribendi genera et Latinorum linguae conformatiōnēm pedetentim acquirendam.

Auctores non tantum universitatis alumnis opus dicant, sed etiam omnibus qui vel de lingua latina nihil sciunt et eam ediscere et perficere cupiunt. Hi multas solvere debent difficultates, quod in lectiōnibus non tantum grammaticae et synthaseos elementa amplificantur, sed etiam alia de linguae conformatione, evolutione, historia...

Hoc primum volume, optime paratum et exstructum, libentissime accepimus. Alia similia quoque exspectamus. Hoc primum multum nobis placuit.

MICHEL, J. - GESTER, M. -- *Lexique de base du Latin*, pp. 219, Edit. C. Klincksieck, Paris, 1967.

In hoc volumine "Lexique de base du Latin" 3500, exceptis nomi-

num propriorum et numerorum vocabulis, voces numerantur, quibus hi egregii scriptores —Caesar, Ovidius, Titus Livius, Vergilius, Sallustius, Cicero, Horatius, Tacitus— in scriptis adhibuerunt. Vocabularium in decem dividuntur indices, numero decimo ad primum signatos, qui trecentis constant vocabulis, excepto uno indice 500 vocabolorum. In decimo et nono indice vocabula a Caesare adhibita reperiuntur; in octavo et septimo vocabula ab Ovidio adhibita; in sexto vocabula a Tito Libio; in quinto vocabula a Vergilio; in quarto et tertio vocabula a Cicerone et Sallustio; in secundo et primo vocabula ab Horatio et Tacito usitata. At vocabulis indicis numerus praecedit, quo in hujus scriptoris operibus vocabulum inveniri judicatur. Tamen post quaedam vocabula sunt litterae grandiores, quibus vocabula in operibus scriptoris litteris grandibus signati, tantum usitari indicatur.

Auctores intenderunt: bonarum litterarum optimus scriptores eligere; vocabula ab aliis composita et conducta a vocabulorum primigenium ex ordine referre; Gallicorum vocabula a vocabulis latinis ducta, tam ex populi more quam ex scientiarum rationibus, definire.

Auctorum operam libenter laudamus quod opus utile, ut putamus, alumnis et professoribus confecerunt et aptaverunt.

FASTI 1968, Edit. Centaur Books Limited, England.

Hi Fasti in lingua latina nobis multum placuerunt. Unusquisque anni mensis imaginibus pictis illustratur, quibus cum res gestae tum monumenta, vel partes domus romanae describuntur. Omnis mensis in alicuius dei tutela est, vel quod

ex eo deus nomen sumit, vel quod in eo deus natus est. Sic a deorum nomine menses vocantur. Laudes domui editrici persolvimus, quod hos fastos nobis misit.

ANASTASI, A. — *Tests psicológicos*, 641 pp. Edit. Aguilar, Madrid, 1967.

Quamquam prima ratio et finis libri non mutata est ab auctrice, tamen in hac secunda editione quaedam emendata sunt atque principia de examinibus psicologicis in lucem amplificata edita sunt; qua de causa prima pars amplificata est quaestionesque speciales et metodologicae agitatae sunt. Auctrix hoc volumine discipulos ad "tests" seu tentamina interpretanda probanda que docere intendit. Hoc volumen in schola re vera confectum est, quoniam in eo quae alumni magistrum interrogaverint fusius explanantur et agitantur. Quamquam volumen Universitatis discipulis primum dicatum est, tamen paedagogys, psicologis, consultoribus, professoribus, rectoribus permultum inservire potest, quonianii omnibus "tests" seu tentaminibus hic numeratis uti facile possunt. De hujus libri utilitate minime dubitamus atque auctrici prosperum eventum exoptamus.

BOOMMER, J. — *Ley y libertad*, 140 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1967, 175 pts.

Quoniam multi in Ecclesia catholica veram hominis libertatem non esse atque in aliis ecclesiis eam melius servari affirmant, auctor de hac quaestione tam agitata lucem promere voluit. Liber ex colloquiis in "Volkshochschule" dictis confessus est. In eo quaestiones "de lege et libertate" agitantur et am-

plificantur. En quaedam: magisterium ecclesiasticum et propria in opinionibus libertas; Ecclesiae disciplina et libera hominis conscientia... Omnes has quaestiones accurate auctor evolvit. Hunc libellum Christifidelibus et omnibus hominibus utilem esse censemus.

GELIN, A. — *El hombre según la Biblia*, 134 pp. Edit. Marova, Madrid, 1967.

Liber, ex novem colloquiis in coetu "Hermanos de las Escuelas Cristianas", ab A. Gelin habitis conflatur. Notandum tamen: quaecumque in his pagellis dicuntur ab alumnis viva voce excipiuntur, sed auctor, paucis diebus antequam moreretur, recognovit. Haec una quaestio tantum agitur: quae de "homine" Biblici scriptores cogitent. Sed ea variis aspectibus consideratur: homo in se ipso; quo modo homo se habeat et ad Deum et ad homines —praincipue vero ad familiam—; cur a Deo se averterit et quo modo Christus illum ad Deum iterum redididerit. In his omnibus explicantur auctorem operis Dei Verbi amore captum et altum Sacrarum Litterarum sensum investigandi cupidum, lectores videre possunt. Opus magni pretii esse nobis videtur, quo clarus Sacrarum Litterarum interpres habetur Gelin. Ejus investigationes iis, qui in has quaestiones incumbunt in oblivione minime futuras esse censemus.

MARCEL, G. — *En busca de la verdad y de la justicia*, pp. 166. Edit. Herder, Barcelona, 1967, 95 pts.

Ad mentem et scripta G. Marcel recte cognoscenda, colloquia magni momenti sunt, quoniam in eis quae

sential aperte manifestat atque in multis scriptis jam dicta lectoribus summatum colligit. G. Maçel verbis et scriptis homines ad pacem inter se assequendam atque eos ab odiis et vindicationibus avertere intendit. Eadem enim intendit qui haec colloquia collegit et lectoribus vulgavit.

MARCHEL, W. — *Abba, Padre*, 176 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1967, 95 pts.

De Deo ut Patre loqui quaestio valde nota et agitata nobis videtur nihilque novi auctores jam dicere posse; tamen W. Marchel, investigatis Litteris Sacris, hanc quaestionem nostrum animum et intellectum adhuc excitare potest demonstrat. Auctor, homines, multis rebus dissipatos et Paternitatis Dei oblitos, ad hanc Paternitatem vivendam et degustandam allicere vult. Volumen tamen est compendium operis quod Marchel ad lauream in Instituto Biblico Romano anno 1961 detulit. Illud volumen doctis, tam catholice quam protestantibus, admodum placuit, et lectoribus, ut putamus, etiam placebit.

GOLDBRUNNER, J. — *Métodos catequísticos de hoy*, 160 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1967, 115 pts.

Christianae doctrinae institutoribus expedit ut probent utrum Christi doctrinam docendi ratio psycologicis et paedagogicis investigationibus sit aptata necnon. Liber, quem hic exhibemus, ad hanc quaestionem solvendam satis inseruire potest, quoniam in eo quo mo-

do Christianae doctrinae institutio usque in nostros dies se evolverit summatum describitur. Josephus Goldbrunner "Katechetische Blätter" moderator, qui jam alios libellos in vulgus edidit, in quibusdam capitibus clarorum hic et illic paedagogorum sententias exponit. Omnes scriptores de rationibus, quae in scholis ad Christianam doctrinam edocendam adhiberi debent, agunt, atque rationes, quae nostris diebus maxime aptatae videntur nobis offerunt.

QUADFLIEG, J. — *Manual del primer libro de vida cristiana "Jesús, yo soy tuyo"*, 180 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1967, 120 pts.

Pueris, qui Missae et vitae communitatis Christianae adesse incipiunt, parvus libellus "Jesús, yo soy tuyo" dicatus est. Tamen quae in libro "Manual del primer libro de vida cristiana" explicata sunt in altero parvo libello summatim describere intendit auctor et magistris Christianaeque doctrinae institutoribus eadem libentissime offert ut ii pueri melius educari possint. In eo cantus, preces, ampliae imaginum explicaciones, textus e Divinis Litteris excerpti colliguntur. Ideo christianae doctrinae vitae elementa discant atque retineant: quae sint praecipua dogmata; quae in precibus "Pater noster" nominatis petamus; quaeque confirmationis, poenitentiae et eucharistiae sint sacramenta. Quo modo auctor puerorum menti et psycologiae sese aptaverit maxime laudamus. Hunc ergo librum delectationi et pueris et magistris esse putamus.

B I B L I O G R A P H I A

HAMMAN, A. — *Liturgia y apostolado*, pp. 167, Edit. Herder, Barcelona, 1967, 95 pts.

Apostolatus non apparatus exterior et laudativum praecönium fidei est, sed potius Christi mortis et adventus praedicatione. Qua de causa Liturgia ab apostolatu sejungi minime potest, quod in Liturgia mors et adventus Domini præsentes fiunt et ex ea apostolatus vim capit. A. Hamman his pagellis falsam de apostolatu et liturgia sententiam, in nostros dies valde vulgatam, impugnare vult atque homines admonere ut consciët et liberi veram fidem vivant. Sic liturgia ad Christifideles educandos maxime inservit ut primis Ecclesiae temporibus patet.

MARCEL, G. — *Dos discursos y un prólogo autobiográfico*, pp. 72, Edit. Herder, Barcelona, 1967, 45 pts.

Ilic parvus libellus ex duobus clari philosophi G. Marcel conflatur colloquiis. In alio de pace loquitur et quo modo eam assequi oportet; in alio de homine uti "sociali". Omnes scimus quae sit perspicuitas et claritas G. Marcel in quaestionibus evolvendis. Ideo haec duo colloquia, ut putamus, lectoribus utilitati esse possunt.

FERRERO BLANCO, J. J. — *Iniciación a la teología bíblica*, pp. 108, Edit. Herder, Barcelona, 1966, 50 pts.

"Theologia Biblica" notio ab om-

nibus hujus temporis theologis accepta est. Sed non omnes de "Theologia Biblica" idem sentiunt, quoniam multas nobis auctores offerunt investigationes, quae inter se dissentient, id est, alii investigationes historiae luce, alii philologiae luce, alii textuum criticae luce faciunt. Quae omnia "Theologiam Biblicam" appellare possumus? "Theologiam Biblicam" ab aliis theologiae disciplinis sejungere possumus? Auctor his omnibus quaestionibus respondere nobisque sententiam a claris viris agitatam dare intendit sicutque ad hanc disciplinam definiendam adjuvare.

CARRILLO SEVILLANO, A. — *La técnica de la voz*, 123 pp. Edit. El Perpetuo Socorro, 1966.

En librum, qui ad vocem colendam et tuendam admodum inseruire potest. Auctor, qui per duos annos E. Villalba professoris lectiones audivit, lectoribus explanata a suo magistro propriamque sententiam summatim describere intendit. Ad vocem rite efformandam non solum amplis cognitionibus opus est, sed etiam exercitatione. Ideo A. Carrillo alumnis quo modo cognita exercere debeant explicat; qua de causa quibusdam imaginibus, quibus cognitiones melius retinentur et explicantur, usus est. Hunc libellum tam musicæ professoribus et alumnos, quam sacerdotibus qui Verbum Dei praedicant et monialibus quae puellas instituunt, utilem judicamus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index Orthographicus	"	5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio)	"	90
"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.)	ptis.	10
" Epitome Historiae Graecae (6 edit.)	"	12
* RAMOS, Cornelii Nepotis Vitae	"	10
* MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.)	"	12
* JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.)	"	10
" Ciceronis in Catilinam (2 edit.)	"	10
" Caesaris, De bello civili	"	10
RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio	"	10
MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, Martialis Epigrammata	"	8
* ZULOAGA, Horati Carmina Selecta	"	12
RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I)	"	14
RAMOS, Xenophontis Anabasis	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissarum:

- 163 Xenofont - Opuscles (vol. I)
164 Xenofont d'Efes - Efesíiques
165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI

Subnotations mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA